NICOLAVS VITALIS

DE SPECIALI

V O T O.

DE SPECIALI VOTO


Quod emitteret Regularis Obediendi ſuis Prælatis Regularibus, aut exequendi meliora eorum Conſilia, etiamſi ab eorum iuriſdictione eximeretur.

DISCVSSIONES CANONICAE TRES.

Auctore

NICOLAO VITALI

D. D. ac Moralis Theologiæ Profeſſore.



VENETIIS, Apud Bertános, M.DC.LI.

Superiorum Permiſſu, ac Priuilegijs.

CANDIDO
AC STVDIOSO VERITATIS
LECTORI.

DIscussiones has tres, Candide Lector, meo LAPIDILYDIO, in quo expoliendo impiger operam meam nauo, vnà cum cæteris Canonicis Discussionibus ex mei sententia inserendas, ab ijs, nescio quo fato, seiunctas, ac prælo, citius, quam par erat, submissas; humanitati tuæ, ac potentissimo patrocinio, perquam volens submitto. Vt quæ præ sui argumento, ac nouitate diu Curiosorum

manus effugere nō potuerunt, iam ab istis publici iuris factæ, eam in publico Lectorum sinu nanciscantur fidei sortem, atque indemnitatem, qua sub paterna Domus custodia diù frui non datæ sunt. Omnis quippe ratio postulabat, vt eæ tantisper sub patriâ potestate consisterent, quoad reliquæ earum sorores, & numero augerentur, & nomine; sicque vnà in medium prodeuntes, mutuo se complexu fouerent, inuicem tutarentur, atque ab iaculis oppugnantium, mutui nexus, collectique roboris clypeo præmunirent. Singulas vnius fascis virgas haud ægrè confregit vel imbecilla decumbentis senio manus; quas tamen in vnum congestas, nec multorum quidem adolescentium nisus intorquere, ne dicā infirngere potis fuit. Quì ergo valebunt tres solæ Discussiones, imò veriùs vnica triplice ducta nexu Veritatis Discussio diù se ab hostiū impetu vindicare; quando vel vnius exerciti nimis in hac arena militis verborū vi, ac fallaciis circūuēta, præmi, iure timeri queat, & frangi? At enim sat ijs prouisum reor, si ad veritatis causam, publicus litteratorum fauor

Plutar. in Apo. pht.

acce-

accedat; & quod Operis moles, ac multitudo Discussionum non præstat, suppleat Patrocinantium copia, necnon mystica numeri designatio. Siquidem, vt ait Sapiens. Funiculus triplex difficile rumpitur: *& alioqui tãta est Veritatis vis, vt in medios ruere hostes non paueat, atq. interclusa, clarior semper euadat, ac validior.* Tantam *enim, ait Cicero,* potentiam Veritas habuit, vt nullis machinis, aut cuiusquam hominis ingenio, aut arte subuerti potuerit; & licet in causa nullum Patronum aut defensorem obtineat, tamen per se ipsâ defenditur. *Quantò magis, amice Lector, si tui erit Clienta, si te Vindicem sortietur? Quæ publicæ fidei authorantur, publicam induunt authoritatem, nec facilè quis ad lauam ea impetere audet, pro quibus publica fides pugnat, curatque sedulò, ne nimia, quæque honestos viros non decet, oppugnatione præmantur. Quamobrem ex amicorum consilio in eam mentem deueni, vt has Discussiones seorsim ab aliis prælo darem; idque vel ex eo potissimùm, quod hac prima sui editione arenam tentabunt, ac viam secundæ casti-*

Eccl. 4.

Cic. in Vatin.

✠ 4 *gatiori*

gatiori parabunt. Et si quid interim noui occurrat, aut ab Aduersarijs obijciatur, ibi eat præfixum, atque ex instituto examinetur. Quod si iis Veritatem è tenebris fælicius eruere datum fuerit, aut saltem solidius quid pro Voto euincere; iis vltro subscribam, meamque ibi sententiam in melius commutabo. Eos tamen enixè rogo, vt cum de Veritate agitur disquirenda; à maledictis, ac procacibus uerbis abstineant, memores aureæ Augustini sententiæ. Cùm Veritas inquiritur, arrogantia deponatur. Ea enim ad rem non pertinent, nec nisi animos cient, ac mentis aciem obtundunt, quò fit, vt Veritas, etsi obuia probè internosci non queat. Præterquam, qui hanc pro se stare contendit, id iniuriæ habere non debet, si eam (modestè tamen) quis eat inficias, quandoquidem, vt testis est Bernardus, Veritas magis elucet impugnata. Vnde Aduersariorum obiecta, in Veritatis eiusque fautorum potius laudem, quam ignominiam cedunt. Sunt & alia multa, quæ ad manus habeo huc quidem spectantia, sed consultiùs pro nunc supprimenda, videlicet. An

Serm. 99. de Temp.

exem-

exemptio Episcoporum Regularium sit de Iure Diuino, an tãtùm Pontificio. An & in quibus casibus super ea possit Pontifex dispensare. Qui fieri queat, vt ea illesa possit quis se inferiori subijcere, atque ad alterius nutum vitam suam instituere, &c. *Quæ in* Lapide Lydio *Deo dãte suo loco, & ordine apponentur, nec diu lucis vsuram desiderabũt. Cæterùm partium studiosis id ingratum fore non arbitror, si, quæ inter ipsos est, controuersiam, alij etiam exsuscitent, ac pro libito velitẽtur. Tum quia non tàm eorum, quàm meâ interesse crediderim pertractare, quæ sub proprio instituto veniunt. Tum quia omnibus omnia scribere, ac Veritatẽ scrutari, liberum semper mansit, nec qui primi hanc sibi prouinciam vendicarunt, alijs aditum occlusere, ne, & ipsi eandem possint animi causa lustrare.* Patet omnibus Veritas. *ait Seneca*, nondùm est occupata: qui ante nos fuerunt, non Domini, sed duces sunt: Multum ex illa etiam futuris relictum est. *Vale.* *Epistol. 33.*

Docto-

Doctorum, qui Sacram Theologiam, Sacrosue Canones, aut actu profitentur, aut sunt multos annos professi, Iudicium, & Censura.

Tractatus De *Speciali Voto, &c.* nil continet à fide, vel bonis moribus alienum, doctique ac subtilis disputatoris ingenium, studium, ac diligentiam summè commendat.

Lælius Mancinus in Patauino Archigymnasio Canonum Professor Primarius.

Veritas dilucidata à Viro Excellentissimo equè, ac Doctissimo Nicolao Vitali D. D. &c. De speciali Voto, quod emitteret Regularis obedienti suis Prælatis Regularibus, &c. insigne testimoniũ est, quod ipse *VITALIS* viuet vita æterna in memoria hominum. Iure illud *Qui elucidant me vitam æternam habebunt*. Quæ à me lecta, & diligenter reuisa; potest publicis exprimi formis; cum nihil cõtrà orthodoxam, et Catholicam Doctrinam contineat.

Frater Cyprianus Philippinus Ordin. Prędicatorum Sacrę Theologiæ Magister, & in Vniuersitate Patauina eiusdem Facultatis Publicus Professor.

Discus-

Discussiones Canonicas inscriptas *De speciali Voto quod emitteret Regularis obediendi suis prælatis Regularibus,&c. ab adm. R. D. Nicolao Vitali DD. ac Moralis Theologiæ Professore* elaboratas, iussu Reuerendissimi P. Fr. Io. Michaelis Bergamaschij à Ferraria Veronæ Inquisitoris, attētè perlegi, nihilque in eis, aut Christianis moribus dissonum, aut Catholicæ fidei contrarium deprehendi: Meritò igitur typis mandari posse censui. Veronæ in Conuentu S. Mariæ Schalarum die 15. Aprilis 1651.

Ego Fr. Valerius Pindemontius Veronensis Seruita Sacræ Theol. Magister.

Attestor ego Fr. Andreas Rubianus Veronensis Ordinis Eremitár. Sancti Augustini Sacræ Theolog. Magister, ac S. Oficij Veronæ Consultor, vidisse Opusculum inscriptum *De speciali Voto quod emitteret Regularis, &c. Auctore Nicolao Vitali*; Nec aliquid continere contra Fidem, Principes, ac bonos mores: Imò Sacris Sanctionibus maximè consonum. & ideo,&c.

Ego Frater Andreas,&c.

Librum

Librū,cui inſcriptio hæc eſt in fronte. *De ſpeciali Voto,quod emitteret Regularis obediēdi ſuis Prelatis regularibus aut audiendi eorum conſilia,etiamſi ab eorum iuriſdictione eximeretur. Auctore Nicolao Vitali, &c.* vidi,ac diligenter euolui: Opus quidem,quod nō ſolùm nihil, quod Catholicæ Fidei, aut bonis moribus aliquo modo aueſetur, inueni,ſed ſuo Auctore dignū iudicaui; in quo Diſcuſſiones Canonicę tres ità proponuntur exagitatæ, vt nihil illuſtrius deſiderari poſſe videatur. Eapropter typis aureis dignum exiſtimo.

Fr. Ioſeph Thomada S. Th.D. & Magiſter Ordin. Carmelitarum; Prior, Regenſque Conuentus S. Thomæ Veron.

Sedula attentione perlegi ego infraſcriptus Tractatum,cuius titulus eſt *De ſpeciali Voto, &c. Auctore Nicolao Vitali, etc.* ingenioſo labore perpolitum,ac eruditione incredibili refertum. Opus ſanè nulla cenſura reprobandum,ſed potiùs ſummis laudibus extollendum. Ita ſentio

Ego Fr. Thomas Curtus Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula; Collega Prouincialis Sacr. Theol. Profeſſor, ac S. Officij Librorum Cenſor.

Ego

Ego D. Io. Antonius Foresta Oliuetanus Sacr. Theol. Profess. & magister vidi, et perlegi *Discussiones Canonicas tres De speciali Voto, quod emitteret Regularis, &c.* Auctore eruditissimo Viro *Nicolao Vitali DD. ac Moralis Theol. Professore*, in quibus nil est bonis moribus, rectę fidei, aut Sacris Canonibus contrarium: Sed omnes tres sunt multiplici eruditione refertę, et subtilitate, ac rationum pondere efficaces: Ideoque eas prælo, ac luce dignas censeo, & subscribo.

Ego D. Io. Ant. qui supra.

Ego Fr. Aegidius Brauus de Verona Sac. Theologiæ Lector Iubilatus, Consultor Sancti Officij & Prouinciæ S. Ant. Ord. Min. Reg. Obser. Diffinitor, accuratè perlegi opus, cui titulus *De Speciali Voto &c. Discussiones Canonicæ tres auctore Nicolao Vitali D. Doctore, ac Moralis Theologię Professore*, in quo nihil Catholicæ fidei, morumue pietati aduersum reperi, quinimò omnia mirâ subtilitate referta, ad ingeniorum aciem collustrandam valde proficua, ac proinde luce publica digna censeo. Datū Veronę die prima Iunij 1651.

Idem Frater Aegidius, qui suprà manu propria.

De

De speciali Voto, quod emitteret Regularis obediendi suis Prælatis, aut exequendi eorum Consilia etiamsi ab eorum iurisdictione eximeretur Discussiones Canonicæ tres Auctore Nicolao Vitali DD. &c. incipiunt: *Casus iste est valdè affinis, &c.* desinunt *clarissimè innotescit*, &c. nihil contra fidem Catholicam continent: Ideò, &c. Venetijs in ædibus Sanctissimę Inquisitionis die 25. Maij 1651.

Ita est Frater Petrus Marcellinus Folia Sacr. Theol. Lector. ac Commiss. Generalis Sancti Officij Venetiarum.

SERIES

SERIES DISCVSSIONVM.

DISCVSSIO I.

DISCVSSIO II.

DI-

DISCVSSIO III.

An, si Votum istud haberet suam validitatem, obligaret Religiosos Episcopos, seù ad alium Ordinem translatos, ad sui Obseruantiam?

DI-

DISCVSSIO I.

An votum, quod emitteret Regularis obediendi, vel exequendi meliora consilia suorum Prelatorum Regularium etiamsi ab eorum iurisdictione eximeretur, sit Validum.

SVMMARIVM.

1 *Status quæstionis, & in quo differat Votum hoc a simili Voto Societatis?*

2 *Vota omnia, quę Regularis ex præscripto Regulæ nuncupat, Vota Regulę nuncupantur.*

3 *In quo differat Votum Regulę a Voto sua sponte emisso, & absque eius præscripto.*

4 *Votum P.P. Societatis de audiendis Consilijs*

2 *An votum quod emitteret Regul. &c. Generalis, &c. est Votum regulæ.*

5 *In quo differat Votum audiendi præcisè consilia vndequaque prouenientia, & Votum eadem audiendi a determinata persona.*

6 *Votum huiusmodi prout appellat tempus exemptionis est irritum, & inane.*

7 *Admittit cõditionem impossibilem cum statu exemptionis.*

8 *Votum quocumque modo fiat, non potest infirmare relaxationem futuram.*

9 *Exemptio a Prælato Regulari dicit extinctum omne ius in exemptum.*

10 *Quomodo per huiusmodi Votum acquireretur ius a Prælato regulari in ordine ad præcipiendum, vel ad ea Consilia suggerenda.*

11 *Quid importet Votum, quod fit in manu determinatæ personæ in eius commodum.*

12 *Pauper quandoque acquirit ius in bona diuitis per eius Votum.*

13 *Quo iure id fiat? & explicatur quodnam ius habeat.*

14 *Probatur huiusmodi Votum in Episcopis, seu Regularibus translatis præiudicare eorum statui.*

15 *Nil, vel certè parum differt Votum Obediendi a Voto excipiendi consilia, eaque si meliora fuerint exequendi.*

16 *Audire consilia, & ea exequi sub peccato, si*

melio-

meliora fuerint, importat subiectionem.

17 *Audire consilia a determinata persona, est ad eam determinate se coarctare, & quodammodo se illi subijcere.*

18 *Confessarius per hoc, quod possit in foro conscientię obligare pœnitentem dicitur habere verum ius in illum.*

19 *Votum huiusmodi importat essentialiter addictionem ad determinatam personam, ac proinde tribuit illi ius ad Voti materiam exequendam.*

20 *Ratione voti maius ius habet Prælatus regularis ea consilia dandi, quam eius substitutus, vel etiam quiuis alius.*

21 *Finis societatis in simile votum suis subditis præscribendo.*

22 *Quomodo indecens sit episcopo audire inferiorem, & ab eo illuminari?*

23 *Finis Societatis in sui Voti præscriptione est sibi Episcopum strictius alligare.*

24 *Huiusmodi Votum videtur ligare etiam Sũmum Pontificem, qui ex ordine assumeretur.*

25 *Eius suprema auctoritas non illi videretur officere, quia teneretur huiusmodi Voto, ne alias secum ipse dispensandum iudicaret.*

26 *Alias nec Cardinalis Episcopus protector Ordinis teneretur.*

27 *Si videtur indecens Papę, vt Prælatum Re-*

4 *An Votum quod emitteret Regul. &c.*
gularem audiat, nec decere videtur Episcopum.

28 *Explicatur tota doctrina exemplo Principis sæcularis exigentis iuramentum a suis subditis pro tempore status Ecclesiastici.*

29 *Quam malè quæstionis status a quibusdam intelligatur.*

30 *Cardinalis Bellarmini egregium humilitatis exemplum.*

31 *Votum huiusmodi verè tribuit ius, & potestatem prælato Regulari in Episcopum.*

32 *Si hoc Votum fieret ex præscripto regulæ, hæc adhuc vigeret in Religioso exempto.*

33 *Qui tale Votum suis subditis prescriberet vere extenderet sua cura iura suam spheram.*

34 *Votum hoc non exinde esset inutile, nam obligaret pro tempore, quo Vouens esset sub prælatorum regularium directione.*

35 *Ni forte Vouens id non intendisset, aut vtrumque vouisset per modum vnius.*

1 CAsus iste est valdè affinis ei, quem pertractat Zácharias Pásqualigus *in suis decisionibus Moralibus Decis. 279. & 280.* An Votum, quod emittunt Patres Societatis de audiendis cōsilijs P. Generalis, & ijs exequutioni mán-

mandandis, si meliora compererint, quãdo ex Pontificis præcepto eliguntur in Præsidem alicuius Ecclesiæ, sit validum. Differt autem in hoc, quod illud sit tantũ in ordine ad sui maiorem profectum spiritualem, & ad rectam Ecclesiæ administrationem: hoc vero est indefinitum, & omnia simul bona conflectitur. Item illud videtur esse ex præscripto Regulæ, hoc autem nequaquam. Tandem illud procedit de sola exẽptione, quæ haberetur per assumptionem ad Episcopatum: hoc verò generaliter de quacunque exemptionem, seu ratione cuiuscumque Prælatiæ, ac dignitatis Ecclesiasticæ, etiam Pontificiæ, quæ Regulari contigerit, seu per trãsitum ad aliã Religionem, seu etiam per simplicem, ac puram absolutionem Regulæ: quã ad altiorem gradum haud conscendens, per specialem Pontificis concessionem in suum ius restitueretur, & ab omni Iugo Regulæ, ac Prælatorum iurisdictione eximeretur. Concordant tamen in hoc, quod vtrumque sit pro tempore exemptionis: (licet hoc nostrum ex intentione Vouentis fieri possit etiam pro statu Religionis) & eandem fere materiam respiciunt obtemperandi, vel exequendi meliora consilia suorum Prælatorum. Et quidem quoad Votum societa-

tis negatiuè respondet Pasqualigus *citata Decis* 279. asserens per illud præiudicari Statui Episcopali, atque exemptioni, quã tribuunt Sacri Canones Religioso ad Episcopatum assumpto: quatenus gradus Episcopalis, & Superior subiiceretur gradui priuato, & inferiori; sicque Religiosus factus Episcopus non eximeretur eo ipso ab obligatione, ac iugo Regulæ, necnon à iurisdictione generalis in eũ: quippe qui virtute huius Voti adhuc retineret ius in Religiosum Episcopum, cogendo illum ad audiendam consilia ipsius, necnon ad obtemperandum, si meliora cognouerit. At id constantissimè pernegant Patres societatis apud quẽdam, qui *Achatis* nomen præseferens *in libello ad Constantinum Caietanum*, incidenter hanc materiã fusè nimis, & acriter licet minus efficaciter velitatur. In specie vero, & magis ad rẽ Pelizzarius *in Manul. Regularium to. primo tract. 4. cap. 5. sect. 5. subsect. 8. per totam.* dicens hanc doctrinam *Pasqualigi* falso principio esse adnixam, cum reuera per illud Votum nullum acquiratur ius à societate, & eius Generali in Iesuitas promotos, sed tota obligatio sit in foro conscientiæ, qua se coram Deo ligant ad id exequendum, quod per Generalem melius esse intellexerit. Et cõprobat ex ipsis

Con-

Constitutionibus Societatis *parte* 10.*nu*.6. *littera A*, ubi dicitur de hoc Voto. *Promittat etiam Deo, quod si quando dicto modo cõpulsus, prælaticnem aliquam extra societatem admittet: audiet postea quouis tempore Præpositi Generalis, qui pro tempore fuerit consilium, vel alicuius, quem ille sibi ad hoc substitueret: quodque, si senserit melius esse, quod consulitur sit illud exequuturus. Non quod habeat, qui Prælatus est aliquem de societate superioris loco. Sed quod sponte in Dei conspectu uult ad id faciendum obligari, quod ad Diuinum obsequium melius esse intellexerit*, Cũ ergo subdit fundamentum illud, ex hac societatis mente appareat aperte falsum: corruant, necesse est, ea omnia, quæ aduersus validitatem huius Voti inferri possunt. Nos igitur, qui hanc prouinciam suscepimus, præcipuas videlicet, Theologiæ Moralis Controuersias examinare, Doctorum rationes expendere, fundamenta ad trutinam reuocare, vt videatur ad quem Veritas inflectat, & cui pattocinetur: agentes *de Materia Voti* operępręt ium duximus, hanc quęstionem in medium ferre, atque ad Lydium nostrum probare vt exinde, quid cuique iuris suppetat, apertum fiat.

Vt autem distincte procedamus, oportet, fundamentum illud, supra quod tota moles oppugnans hoc Votum, nititur,

quaquauersum impetere, atque adamussim examinare. An reuerà hoc votũ pręiudicet Statui Episcopali, & exemptioni Regularium assumptorum? quod certè si debile comprobabitur, Votum in suà firmitate, ac robore perdurabit: At contrà si ad tot ictus firmum, atque inconcussum consistet, vtique rationes procedent, & sic tota controuersia dirimetur. Antequam tamen ad eius expensionem deueniamus.

2 Pręmitto primo tamquã certum; Vota omnia, quæ emittuntur in quauis religione ex præscripto eius Constitutionũ, siue ea sint solemnia, siue tantum simplicia, verè esse partem Regulæ, & per eorũ fractionem, nedum obuiari Virtuti Religionis, sed etiam prescripto Regulæ, quę talia vota præscribit: cùm eorum obligatio non solum promanet à virtute Religionis, vi cuius nouiter profitentes per ea vota immediatè se obstringunt Deo, verum etiam ab ipsa Regula, quę ex sui natura, vt peculiarem suum finem sortiatur, petit in ijs qui talè Institutum voluerint amplecti, talem formam viuendi cum talibus, ac talibus circumstantijs, ac certis votis, quæ ad finem à se intentum consequendum, valdè conducunt. Ex quo fit, vt licet eadem omninò vota sub-

stan-

stātialia Regulares omnes emittánt, circá eorum tamen obseruantiám, non omnes eodem modo se gerant, aliquibus enim summá Paupertas præscripta est, alijs non item: vnde vná & eadem actio vni Religioso erit illicitá, & peccaminosa, quia transgreditur limites, quos Regula, in talis voti obseruatione prescribit; quæ tamen alteri erit licita, & honesta, eo quia Regulę non aduersatur; vnde nec Voto. Idque ex eo, quod Voti obseruatio intelligi debet secundum præscriptū Regulæ, ideſt quod tantum obliget, quantum Regula ipsa ad sui obseruántiám exigendam, necnon ad suum peculiárem finem consequendum necesse hábet.

3 Præmitto secundò Vota, quæ Religiosus, suá sponte, & non ex præscripto Regulæ, siue antè, siue in ipso actu professionis, siue post illám emittit, (non quæro nunc de eorum váliditáte, cessátione, ac potestate quam habet Prelátus Regulâris ea omnia relaxándi, sed suppono firmá validá, ac perdurantia, eo quiá habent omniá requisita) eá inquám vota, etsi ad regulárem obseruantiam válde conducentia, nullam habere connexionem cum Regula, ac proinde in eorum obseruatione non esse attendendum

dum præscriptum Regulæ, & finem ab illa intentum, sed solum intentionem vouentis. Vnde nec cessant cessante Regula; nec eorũ obseruatio propriè dici potest obseruatio, Regulæ, sicuti nec fractio in obseruantia, nisi forte indirectè quatenus obuiat vel conducit ad spiritualem profectum atque ad perfectionem assequendum. Sic si quis exempli gratia voueret, vsque ad extremum vitæ semper id agere, quod perfectius esse cognosceret: etsi Votum hoc valdè conduceret ad regularem obseruantiam, & ad finem, quem Regula habet tendendi semper ad perfectionem; tamen quia à Regula non præscribitur: non desinit hac desinente, nec cum infringitur, dici propriè potest, infringi Regulam, nisi fortè impropriè; quatenus per peccatum receditur ab illa tendentia ad perfectionem, quam Regula quæuis præscribit.

4 Premitto tertiò Votum Societatis verè promanare ex Regula, & esse partem illius (vt supponunt ipsimet scriptores Societatis *infra* citandi) quatenus nouiter professuris præscribit talem modũ viuẽdi, cum talibus, ac talibus obligationibus quas prudentissimè iudicat opportunas, & valdè proficuas ad consequendum illum finem, quem ipsa suo speciali

insti-

institùto hábet tendendi peculiári viá ad perfectionem: inter quas ádest & hæc promissio firmatá Voto, quæ licet quantum ad sui ádimpletionem non conducát ád regularem obseruántiám, & ad consequendám illám perfectionem, ád quám societas peculiari modo tendit, (pro illo enim tempore, quo ádimplendá esset, Vouens supponeretur extra Religionem, & extra obligátionem Regulæ) conducit tamen valdè ád illius spiritualem profectum, quem semper in suis filijs vel extra suum gremium positis, curáre debet, & curát Societás, & áliás in ipsa eius emissione nescio quid máioris virtutis, ác perfectionis est inuenire: vt proinde semper verificetur illud áliqualiter conducere ad perfectionem, ád quã Societas tendit. Finis autem, quem Societás per huius Voti præscriptionem in suis subditis hábere potest, alius meo iudicio esse nequit, quám eius, qui Episcopo euádet máior perfectus, & recta Ecclesiárum administratio. (hæc enim duo explicantur in formula ipsá Voti) qui certè est váldè láudábiles, & vtinam fideles omnes urgeret.

5 Præmitto quartò áliud esse vouere simpliciter obtemperáre cuicunque bonum suggerenti, vel áudire præcisè con-

ſilia, eaque ſi meliora fuerint exequutioni mandare, aliud obtemperare determinatę perſonę, aut ab ea in ſpecie huiuſmodi conſilia audire, atque auditum nō detrectare. Primum cadit immediatè ſuper ipſa conſilia, quæ ſunt materia huius Voti: ſecundum verò cadit immediatè ſuper perſonā, ad quam ſpectat talia conſilia dare, & mediatè, & ſecundario ſuper ipſa conſilia, quatenus vouens intendit ſe adſtringere reduplicatiuè ad talia numero conſilia, hoc eſt ut a tali perſona prouenientia, & per conſequens ſe adſtringit immediatè, ac ſe ſubijcit determinatę perſonæ in ordine ad exequendū, quod illa præceperit, aut ex conſilio ſubminiſtrauerit. Ex quo fit, ut uouens primum, quicunq. tandem is ſit, & quauis dignitate præfulgens, nunquam cenſeatur ſuo gradui derogare, ſi uel a fęmina, uel a quouis ex infima plebe ea conſilia excipiat, quin, & ad id obligetur, quia uoti obiectum eſt Conſilium pręciſe, ad quod impertinens eſt, quod ſit a tali, uel tali perſona. At qui ſecundum uouerit, poteſt ſæpè cotingere, quod deroget ſuo ſtatui, ac Dignitati, quatenus aſſumeret perſonam priuatam in regulam earum operationum, quæ ex ſui natura petunt prouenire a tali ſtatu abſque depēdentia

ali-

alicuius; Vnde tribueret illi ius directè suprà talem dignitatem, cum non seipsũ præcisè ut homo priuatus est, sed reduplicatiuè, ut talis homo est, hoc est tali dignitate præfulgens, priuatæ personæ subiiceret, & per consequens ipsam dignitatem: quod quidẽ ei saltem, qui plenariam potestatem non habet suprà Ecclesiam, & Sacros Canones, nõ licet. Sic si summus Pontifex exempli gratiá uoueret amplecti meliora consilia, quæ sibi á quacunque personá porrigerentur circá uniuersalem Ecclesiæ administrationem, nõ dubito quin uotum ex hác parte foret licitum, ac ualidum, & si alias secus ipse non dispensaret, teneretur ad id præstandum, cum uotum foret de meliori bono, & nullá per illud fieret iniuria supremæ auctoritati, ligaretur enim solum ád bonum ut sic undequaque proueniens. At si is, uel potiori iure Prælatus inferior uoueret obedire in iis, quæ ád Ecclesiæ administrationem pertinent, priuatæ personæ, quis non uidebit, áb eo suam priuatæ personæ subiici dignitatẽ, átque ádeo tribui illi ius suprá onus Episcopale? quod certè si nequit Ecclesiasticæ Hierárchiæ ordinem inuertere, Diuinaque pariter ac Pontificia iure rescindere, nullátenus poterit. His igitur ex

com-

communibus Doctorum principiis præsuppositis tamquam certis, ad quæsitum.

6 Respondeo absolutissime, Votum illud, quod emitteret. Regularis, obtemperandi, uel exequenda meliora consilia sui Prælati regularis, etiam si ab eius iurisdictione eximeretur, quatenus includit tempus exemptionis, esse irritum, & inane, & per consequens, eum non teneri postquã exemptus fuerit ad illud implendum.

7 Probatur, quia reuera Votũ hoc admittit conditionem incõpossibilem cum ea omnimoda exemptione, quæ regulari contingerit siue per assumptionem ad Episcopatum, siue per transitum ad aliũ Ordinem, siue etiam per speciale priuilegium, quo remitteretur in gradum pristinum, & ab omni subiectione Prælati regularis eximeretur, ergo eo ipso redditur nullum, & frustratorium. Antecedens probatur, nam quomodocunque concipiatur istá omnimoda exemptio, semper dicit extinctum omne ius, quod quocunque modo posset competere Prælatis regularibus in Religiosum exẽptum, ergo includit etiam huiusmodi specialem subiectionem, quam ille per speciale uotum promitteret suis prælatis regularibus.

Con-

8 Confirmatur primo nam ex communi DD. sententia ut aduertit Bonacina *in 2. precep. Decal. disp. 4. quaestion. 2. punct. 28.* posita quacunque obligatione, promissione, ac uoto, non potest ipse uouēs efficere, quia summus Pontifex, uel is ad quem spectat, his non obstantib. nequeat dispensare cum illo, ac tollere omnem obligationem, & subiectionem alteri promissam, ergo posito quocunque Voto de obtemperando, seu de exequendis datis consilijs, non potest fieri, quin cōcessa huiusmodi omnimoda exemptio Regulari ei non suffragetur, & per consequens extinguat vna cum aliis obligationibus, & illam qua ex speciali voto determinatę personæ subiiceret.

9 Confirmatur secundò quia accessorium sequitur naturam principalis; & quod est maius, si sit in eodē genere trahit secum quod est minus; ergo cum per hanc omnimodam exemptionem extinguatur subiectio, quam habet Religiosus suo Prælato Regulari, ratione Regulæ, et Voti solemnis Obedientiæ, consequens est, vt ratione ipsius extinguatur, & votū illud speciale obediendi etiam posita exemptione: nam ista subiectio est inferioris cōditionis, & accedit ad illam, quę promittitur per votum solemne obediē-

tię,

tiæ, (maximè si fiat ex præscripto Regulæ) vnde cum illa venit item extincta, alias non esset omnimoda exemptio.

Dices falsum esse per illud Votum acquiri aliquod ius à Prælato regulari in Religiosum exemptum, sicut falsò quis diceret, per Votum quo Deo promitterem dare eleemosinam pauperi petenti, hunc acquirere ius ad eam repetendam: quia obligatio fit Deo, & totum ius competit Deo. Quare optimè potest stare hęc obligatio obtemperandi, vel audiendi consilia cum ea omnimoda exemptione quæ Regulari contingeret, quia hæc extinguit quidem omne ius competens Prælato regulari ab obedientiam exigēdam, secus autem ius competens Deo, in ordine ad id votum implendum.

10 Contra quia etiam Votum solemne Obedientiæ, quod emittitur in Professione, fit Deo, & immediatè respicit Deum: & tamen per hoc nemo dicet Prælatum regularem ex vi illius non acquirere ius ad obedientiam exigendam. Ergo similiter, licet hoc Votū potissimè fiat Deo & illum respiciat, non per hoc sequitur, quod Prælato Regulari, ratione illius nō competat aliquod ius ad præcipiendum, vel ad ea consilia danda.

Quod autem in Prelato regulari, ratione

tione voti solemnis sit maior quædam potestas ad obedientiam exigendam, ratione cuius potest per pęnas externas cogere subditum renuentem, ad obediēdū, prouenit ex potestate, & iurisdictione externa, quam ratione voti solemnis acquirit in eum; nam votum solemne, & si fiat soli Deo, includit tamen promissionem externam prælato regulari in facie Ecclesiæ præstitam, quę proinde dat Religioni, & eius Prælato vim coactiuam in subditum, vt possit illum cogere ad standum promissis. Sed de hoc latiùs *infra*.

11 Contra secundo, quia cum votum emittitur soli Deo in ordine ad aliquid, illi purè præstandum, tunc quidem ius id exigendi competit soli Deo, secus autem cum fit in manu determinatæ personæ in eius commodum, nam tunc tribuitur illi ius ad exigendum, quod promittitur: quia tunc promissio nedū fit Deo, sed & illi personæ, cui parere, uel aliquid præstare promittit, sed potius, promissio, & obligatio fit ei, & votum fit Deo, facturos nos, quod determinatæ personæ promisimus, vt cum D. Thoma 2.2. *quęst*. 88. *artic*. 5. *ad* 3. explicant communiter DD. Suar. *lib*. 1. *de Voto cap*. 16. *numer*. 5. Valent. *tom*. 3. *disput*. 5. *quæst*. 6. *p*. 3. Nauar. *capit*. 12.

B *nu*. 25.

numer. 25. Sanch. *in oper. moral. lib.* 4. *capit.* 1. *num.* 47. Clauis regia *libr.* 6. *cap.* 1. *num.* 1. Bonac. *de Voto quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 17. & alii apud ipsos, ergo sicut per votum solemne obedientiæ, quod emittitur in manu Prælati acquiritur prælato ius ad obedientiam exigendam, licet votum in se soli Deo fiat, eo quia includit promissionem obediendi prælato regulari, ita & per Votum simplex obediendi, uel excipiendi consilia á determinata persona in manu eius factum, tribuitur, illi ius ad ea consilia danda, quia includit promissionem ei factam in ordine ad illi parendum uel ad eius consilia excipienda: parũ enim refert, ut supra tetigi solemnitas, aut simplicitas Voti.

12 Ad exemplum quod affertur de uouente dare eleemosinam pauperi, eodem modo respõdeo, et audenter dico, quod si is emiserit Votum in manu pauperis, atque ei coram Deo promiserit, eleemosinã erogaturũ, utiq. pauper iste habebit ius ad eleemosinam repetẽdã, cũ uerè di ues illi promiserit, ac se obligauerit iuxta illud *Promissio boni viri est obligatio*.

Instabis nouum tibi esse, atque hactenus inauditum, pauperem per uotum diuitis ius in eleemosinã acquisiisse: quod certè si uerum esset, possit cum is detre-

ctaue-

ſtauerit elargiri, eam ſibi, ex ipſius bonis clanculum compenſare, aut ad minus cauſam agere coram Iudice, ac poſtulare, vt ea ſibi iã debita tribuatur. At quis mẽt is compos id diceret? aut quis Iudex illum admitteret, vt nõ potius mẽtis inopẽ iudicatũ rubore ſuffuſum repelleret?

Reſpondetur id nouum non eſſe, nec ignotum ijs, qui moralis Theologiæ rudimenta vel à limine ſalutarunt, quę pro fecti duplex ius diſtinguit, alteram quod dicitur *Ius in re*, alterum *Ius ad rem*. Et quidem in re habere dicitur is, qui dominiũ illius habet, eamque iam per poſſeſsionẽ acquiſiuit ius autem ad rem ei competit, qui, uel ex aliena promiſſione, vel ex cõtractu oneroſo rem ſibi iam uendicauit, non autem eius dominium acquiſiuit, in quo caſu dicunt DD. eum habere actionem realem, non quidem ad rem, ſed ad perſonam, quæ rem ſpopondit, ut hæc ſibi detur: latius uerò patet ius in re, quod dat ius poſſeſſori ueram actionem realem in rem ipſam, itaut poſſit eam ſibi à quouis repetere, atque ſi alia uia nõ ſuppetat, eam ſibi a debitore clãculum compenſare. Videatur Molina *de Iuſtitia, & Iure, diſp.* 2. & Bonacc. *de Reſtitutione quæſt.* 8. *punct.* 2. Nunc ius, quod habet Pauper ad eleemoſinam ratione promiſſionis, &

Voti in manu eius facti, est ius ad rem; unde fit, ut non possit eam sibi clāculum compensare, cum eā per dominium nōdum acquisierit, benè uero queat uouentem cogere ad standum promissis, cum in ipsum habeat actionem realem. At, inquis, si apud Iudicem causam agat non ei ius dicitur, sed potius illudetur. Peto quem Iudicem loqueris? num terrenum? at quonam pacto in ijs se immisceret Iudicijs, quæ sui fori non sunt? Deo votum fuit emissum, coram ipso tantùm facta fuit pauperi promissio; ipsum solum Iudicem appellat hæc causa, ad ipsum spectat de ijs, quæ suum forū concernunt, prouidere. Si coram terreno Iudice, ac Republica iuridicè facta esset illi promissio; vtique coram ipso veram actionem haberet Pauper in diuitem promittentē, possetque illum cogere ad standum promissis, & tunc seriò illum Iudices admitterent, quin, & pro isto starent, diuitēque compellerent ad eleemosinam tribuendam; At quoniam Diuini fori hæc sunt, Deum sibi Iudicem vendicant. Non tollitur tamen per hoc, quin sit verum ius in paupere ad eleemosinam repetēdam ratione promissionis factæ, & coram Deo per Votum firmatæ. Sic igitur in casu nostro, per uotum quo determinatæ per-

sonæ

sonæ promittitur Obedientia, seu non renitentia ad audienda consilia acquiritur uerum ius ab eo, cui fit hęc promissio, ad obedientiam exigendam, vel eá consilia dánda, licet id locum non habeat in foro externo, sed tantum corám Deo, & pro foro conscientiæ.

14 Probatur secundò, & efficaciùs de exempto per Episcopatum, aut per transitum ad alium Ordinem, quia reuera non potest concipi hęc subordinatio Prælato antiquo regulari, vel ád obtemperandũ in omnibus, uel ad audienda eius cõsilia, & eá exequutioni mandanda, si meliora fuerint, absque læsione alieni iuris: ergo reuera Votum illud, per quod promittitur hæc subordinatio, est irritum, ac frustratorium. Antecedens probatur, nã vel iste Religiosus eximeretur per Episcopatum, & sic præiudicaret Statui Episcopali, cui de iure competit omnimodá exemptio, quatenus se subijceret Prælato regulari, & ei verum ius ad sibi præcipiendum uel consilia dánda tribueret, (vt supra ostensum est) uel transiret ad alium Ordinem, & sic læderet ius istius, ac Prælatorum eius, quibus commissa est omnimoda curá, & prouisio suorum inferiorum, & quibus competit de iure tália mandatá, uel consilia exhibere.

Dices; aliud est, hunc uouere simpliciter, in omnibus obtemperare Prælatis regularibus, aliud eorum consilia audire. ac si meliora fuerint exequutioni mandare: & quidem quoad primum, in id facilè conuenires, derogari iuribus status Episcopalis, aut alterius Religionis, cum reuera per illud votum tribuatur prælatis huiusmodi, ius, & potestas in Religiosum exemptum: & iste èontra uerè euadat subiectus, & obligatus ad obediendum. At in secundo, nullum ius læditur, cum ij, ad quos spectat huiusmodi consilia dare, nullum ius sibi de nouo assumãt, sed tantùm utantur iure suo alias competente: licitum est enim cuique etiam præciso Voto hæc consilia dare. Vnde nec ulla manet in Consiliatore potestas, nec in Vouente subiectio. Id solum, quod sequitur, est, quod ipse uouens ex ui uoti obligetur ad eá consilia excipiendá: quæ obligatio est coram Deo, & pro foro conscientiæ, ac proinde nullius iuribus obuiá.

15 Contra; Nám parùm refert quod ipse uouens teneatur stare mandatis, uel sequi consilia meliora, quando ex uoto eadem obligatio consurgit utraque eadem modo præstandi. Si quidem Consilium in hoc solùm differe compertum est

a Præ-

à Præcepto, quod hoc coärctet eum ad quem dirigitur, et ponat in illo necessitátem, (non quidem physicám ò qui ad hanc uocem tibi nouã, ac prorsus ignotam uti ad lapidem offensionis hæres, ac scándalum sumis, sed ut pássim usurpant Theologi, Moralem) necessitátem, inquam, exequendi ea quæ proponuntur. Consilium autem nequaquam, sed tantũ proponit id, quod pro libito, & absq. ulla necessitate suscipi debeat, & adimpleri. Ergo posito, quod tám consilium, quã præceptum eandem obligationem importet, ut exequutioni pari pacto, & sub peccato mandari debeãt, eodem modo se habebunt, & in nihilo different. Votũ enim exequendi consilia esset tũc uirtuale uotum Obedientię, ut benè aduertit etiám Cástro Pálao *tract. 26. disp. 5. punct. 8. num. 3.*

Impudẽs sophistæ cuiusdã cauillatio notatur.

Addo, quod cũ duriùs, ac difficiliùs sit exequi omniá consiliá meliora, quam omniá mandata, quæ proponentur, durius, ac difficilius erit se obligare ad exequendá omnia consiliá meliora, quám omniá mandáta: siquidem illud semper importaret obligátionem sub mortali ea omnia audiendi, & exequendi, si meliora fuerint, hoc autem non item, sed tantum in gráuioribus, & quæ sub expressis uo-

cibus, ac forma pręcipiuntur, vt patet in Religiosis omnibus, apud quos viget hæc obligatio.

16 Contrà secundò. Nam quámuis licitum sit cuique hęc Consilia dare, non tamen licitum est omnib. ad ea consilia excipienda, vel etiam adimplenda cogere, & coarctare, sed ei tantum, qui ad id habet ius: Sicut, quamuis licitum sit cuiq. bona mihi facienda proponere nõ tamẽ licitũ est, ea sub mãdato proponere hoc est ad ea suscipiẽda obligare, quia hoc importaret in eo máioritatem, & in suscipiente subiectionem, & inferioritatem. Ergo licet non deroget statui Episcopáli, vel alteri Religioni, Religiosum iam exemptum audire, & exequutioni mandáre consilia, quæ a Prælátis prioribus suggerẽtur; derogabit tamẽ, si ád id præstándum, ex voto obligetur, quia hoc importáret in eo subiectionem, & inferioritátem respectu eius, qui mándata, aut consilia illa proponeret.

17 Contra tertiò nam, *vt modo supr. nu.* 5. pręmissũ fuit, aliud est audire simpliciter consilia, aliud a determináta persona: Et primum quidem dicit se determinare ad consilia ábsque vllo ordine ad aliud: secundum vero, ad determinatam personã. Quod vel ex eo patet, quod, si ea consilia

etsi

etsi omni numero absolutissima, ab alio, quam à personâ ad quam vouens sese determinat exhibeantur; is poterit detrectare auditum, et ea nullatenus exequi. Ergo sicut in primo casu penes cõsilia ipsa (ut ita dicam) vndecumque proueniant, manet ius, & potestas in vouentem, vt ea excipi debeant, & si bona fuerint exequutioni mandentur; ita in secũdo casu penes eum, ad quem spectat talia consilia exhibere, manet ius, & potestas ea consilia dandi, & etiã cogendi ad ea implenda, si forte ijs quæ in mentem venerint, sint meliora.

Ad id autem quod dicitur, quod ista subiectio, & obligatio sit tantum coram Deo & pro foro conscientiæ, fácilè respondetur, nõ per hoc tolli, quin importet etiám verám subordinationem, & inferioritatem ergà prælatum regularem pro foro conscientiæ, & interno, et quod iste mediante ea obligatione non habeat verum ius, & manutentionem ad cogendum in foro conscientiæ huiusmodi Regularem exemptum ad se audiendum: Neque enim video, vt suprà dixi, quam multum differat obligatio consurgens ex tali voto exequendi, sub peccato meliorá consilia, quę proponentur, ab ea quæ promanát ex voto, solem-

ni Obedientiæ, ea exequendi, quæ sub præcepto mandantur. Vtraque enim est coram Deo, & pro foro conscientiæ, qua uouens sub peccato se obligat ad excipienda mandata, vel consilia Prælati regularis. Quod autem per professionem regularem, & Votum solemne Obedientiæ fiat maior quædam potestas in Prælato regulari, cogens etiam in foro externo, ratione cuius potest per pœnas externas punire subditum renuentem obedire, et illum coarctare ad obtemperãdum; id arguit subiectionem item externam, & politicam potestatem, quæ cuicumque Religioni approbatæ conuenit, prout quædam communitas est, ex concessione Pontificis, cum tũc promissio, & Votum fiat nedum Deo, sed & Ecclesiæ, ac proinde nõ solũ Deo pro foro interno competit cogere vouentem ad standum promissis, sed & Ecclesiæ per pœnas externas ad idem præstandum. Cæterum semper restat, quod radix huius externæ potestatis sit potestas interna, qua coram Deo, & pro foro conscientiæ ratione voti potest prælatus cogere subditum ad obtemperandum (ut latè explicuimus cum *de materia legis discuss.* 1. *num*.... Ergo sicut obligatio illa, quæ consurgit ex voto solemni ponit in Religioso vouente

subie-

subiectionem, & in Prælato verum ius & potestatem super illum, itá & obligatio istá, quæ cõsurgit ex voto simplici in ordine ad audienda, & excipienda consilia, ponit in vouente subiectionem, et in Prælato regulari ius ad ea consilia danda.

18 Confirmatur hoc idem exemplo Confessarii, qui, ex eo quod potest coram Deo, et pro foro conscientiæ obligare pœnitentem ad exequendum, quod illi commiserit, arguitur habere verum ius, & potestatem in illum, licet nullam habeat coactionem externam, et viceuersá pęnitens erga eum habet veram subiectionem, et dependentiam: ita in cásu nostro, ex eo quod huiusmodi Vouens habeat coram Deo, et pro foro conscientiæ veram obligationem ad exequendá consiliá, quæ Prælatus regularis exhiberet, arguitur in illo vera subiectio, ac dependentiá in ordine ád ea consilia excipienda, et in Prælato regulari verum ius, & potestas ád ea consilia danda.

Vrgebis adhuc, esse falsum, Prælatum regularem ex ui huius Voti posse cogere Religiosum exemptum ad implendam promissionem Voti: et quidem in Societate, in quá reperitur simile Votum, id expresse declarari: nempe huiusmodi iuri-

sdi-

ſdictionem, ac vim coactiuam penes Generalem non eſſe reſpectu eius, qui Prælatus euadit, ſed totam coactionem eſſe ante conſpectum Dei in ordine ad præſtandum id quod per ſuggeſtionem Generalis melius dignoſcetur: dicitur enim in eius *Conſtitutione* ſuprà allata. *Non quod habeat, qui Prælatus eſt aliquem de Societate ſuperioris loco, ſed quod ſponte in Dei conſpectu vult ad id faciendum obligari, quod ad diuinum obſequium melius eſſe intellexerit.* Vbi apertè conſpicitur non aliquam iuriſdictionem tribui Generali, ſed ſolum in vouente ineſſe obligationem ad conſilia excipiēda, & ea ſi meliora fuerint adimplendà.

19 Verum adhuc hæremus in ænigmate; & nondum, meo iudicio, compertum fuit, quid reuera importet huiuſmodi obligatio coràm Deo &c. in eo qui tàle Votum emiſerit. Et quidem, quidquid ſit de mente Societatis in ſuo ſimili Voto præſcribendo, de qua *infra*, clarum eſt, vt conſtat ex modò dictis, huiuſmodi obligationē quātumuis ab homine præſcindatur, & Deo immediatè fiat, nō poſſe eo vſque diſtrahi, vt non importet aliquem ordinem, & determinationem, ad tàlem hominem, in cuius commodum (ut àduerſariorum formulis vtar) emittitur, & a quo conſilium eſt

au-

audiendum: Non enim consilium ut sit suscipitur, sed ut à tali persona prouenienS, vt toties dictum est. Ergo quantumuis a ratione talis obligationis præscindatur subordinatio, & dependentia respectu Generalis, non potest eò deueniri, vt Prelatus ex ui talis non maneat adligatus Generali in ordine ad ea consilia excipienda, & in hoc, ratione commodi quod reportat, ex tali voto, non extet ius ad ea consilia danda: Sicut ergo uotum aliud Societatis, specialis Obedientiæ Papæ in ordine ad missiones, licet fiat Deo, et immediatè respiciat Deum, ex generali ratione Voti, quod non potest fieri nisi Deo, non tollit quin summus Pontifex ex ui talis voti, et promissionis sibi factæ acquirat ius ad destinandos Professos societatis ad missiones, vt aduertit Pellizzar. *tract.4.cap.5.num.176.&* 177. ità, & per hoc uotum audiendi consilia Generalis, licet fiat Deo, acquiritur Generali ius ad ea consilia danda, ratione promissionis implicitæ in huiusmodi Voto.

20 Confirmatur, quia negari non potest, quin maius ius extet apud Generalē ad ea consilia danda, quàm apud alium hominem, & maiorem manutentionem ad id habeat ipse, quam quiuis alius, sicut & maius est ius, quàm ipse habet ad id pre-

præstandum, quam eius substitutus; Vnde si fortè Episcopus exoptaret, hunc, aut illum à Generali ad hoc munus substitui, ipse pro auctoritate, quam acquisiuit ex Voto, potest & annuere, substituendo hominem ad Episcopi placitum, & detrectare, volens per se munus illud exequi, & cogere Episcopum, seu mauis dicam, velle ipsum cogi sponte sua, & corā Deo ad audienda consilia ab ipso, & non ab alio, cum materia huius voti non sit audire precisè consilia, sed consilia Generalis, vel eius, quem iste ad hoc munus substituet. Ergo semper restat, quod ex vi voti habeat Generalis Societatis, seu Prelatus regularis supra Episcopum, seu Religiosum quomodolibet exemptum auctoritatem, vt possit directè, vel indirectè illum cogere ad se audiēdum, & ecōtra, quod in Episcopo, seu Religioso exempto maneat subordinatio, & subiectio corā Deo, & pro foro conscientię (quod parum interest,) erga Prelatum regularem in ordine ad illum auscultandum.

21 Contra secundo quia finis legis attēdendus est potius quam verba legis, vt habetur expresse *in regula vltima de regulis iuris in* 6. Ergo parum refert, quod verba illa Constitutionis non sonent subiectionem, ac dependentiam in prelato assum-

sumpto erga Generalem, si reuera lex per eius voti prescriptionem hanc subiectionem intendat. Et quidem, quod simile quid intendat societas, patet ex ipsa natura rei, ad quid enim hoc votum prescriberet, si non intenderet mediante ipso cōseruare sibi aliquod ius in Iesuitam exemptum, volens ipsum alligari Religioni, & Generali, vt possit se immiscere in regenda ipsa persona prelati in iis, quę spectant ad sui profectum, necnō ad Ecclesiam illi commissam administrādam? Quinimò si ipsos Patres Societatis interroges, respondebit tibi Pellizzar. *loco citato q.2. Fieri ad consulendum saluti spirituali Religiosi promoti ad Episcopatum, et maiori vnioni illius cum societate, necnon maiori proximorum ædificationi.* Hæc autem vnio ad societatem non potest intelligi sine subordinatione, ac dependentia Religiosi assumpti, neque enim societas adhęrere intendit prælato: quin potius nullum onus quoad hoc sibi assumere vult, sed totum onus, adhęsio, atque vnio est in Prę'ato, ut patet ex ipsius Constitutionibus *part. 10. §. 6. in declarat. litter. A. apud Pellizzar. quęst. 16. Non tamen obligatur societas ad hoc munus suscipiendum, quandocunque alicui ex ea Episcopatus esset admittendus, immo libera manet, vt id oneris relinquere, & assumere possit.*

ſit. Vnde miſer Prelatus tantùm ex vi voti manet ligatus ſocietati, quæ adheſio, & coniunctio, cum ſit coactiuá, dicit neceſſario dependentiam, & ſubiectionem, quatenus Prelatus manet obligatus in conſcientia ad Generali adhærendum, & eius, vt vulgò dicitur manipulum exoſculandum, pendendo ab auribus, vt data conſilia excipiat, atque exequutioni ſi meliora ſuis fuerint, mandet. Cum ergo audire, & parere, maximè ſi fiat ex præcepto, & obligatione ſub mortali, dicat inferioritatem, ac dependentiam, & hãc obligationem audiendi, & parendi intẽdat ponere ſocietas in Prelato mediante uoto, ſequitur, quod reuera intendat ponere in Prælato ſubiectionem erga ſeipſam, & in ſe ius in Prelatum.

22 Nec dicas hanc obligationem audiẽdi non officere gradui Epiſcopali, (qui ex D. Thoma 2.2. *quæſt*. 181. *art*. 8. comparatus ad ſtatum religioſum eſt ſicut ſtatus Magiſtri ad ſtatum Diſcipuli) cum in Societate ea non ſit inducta ad illuminãdum intellectum, ſed ad firmandam voluntatem, & alias non ſit indecorum Epiſcopo, vel à paruulis, & minus eruditis accipere ſalutaria conſilia, & illuminari ad aliquid peragendum; nam id ſæpiſſimè præſtitiſſe ſe aſſerit Auguſtinus *Epiſt*.

75.

75. *ad Auxilium*, & Clemens Papa *dist.* 8. *c. vlt.* in epistola quadam monet Episcopũ, ne propter senectutem, aut generis nobilitatem abstineat ab huiusmodi consilijs excipiẽdis. Non inquam istud dicas, nam idipsum contra te directè retorquebo, & sic validiùs effatum meum firmabo. Nã licet indecens non sit Episcopo talia cõsilia audire; quinimò sit valdè laudabile, indecens tamen est ad id obligari præsertim à determinata persona, cum non maneat adstrictus ad consilia, sed ad personam, vt toties repetitum fuit. Similiter, ex eo quod hoc votum non sit inductum in Societate ad illuminandum intellectũ, sed ad firmandam volũtatem, clariùs patet, per ipsum subiici Episcopum Societati, atque eius General; Neque enim indecens est Magistro audire quandoque discipulum, eiusque effata capessere, sed valdè absonum est, ipsum firmari in voluntate, seu adstringi ad discipulum audiendum, doctrinamque eius excipiendam; Nam tunc subiiceretur directè discipulo, quod turpe nimis esset. Ergo cũ in Societate per hoc votum non intendatur illuminari intellectus Episcopi, sed firmari voluntas ad ipsam audiendam, eiusque salubriora monita excipienda; intenditur ab illa subiici, & subordinari

Episcopum sibi, ac Generali, quod idem est iuxta D.Thomam ac subiici Magistrū Discipulo. Sed interim ne Lectorem pigeat Augustini auctoritatem epistolà ad Auxilium citatá recolere vel apud ipsosmet aduersarios, atque attente considerare, quam luculētissime nobis faueat dum dicit se non nisi à coepiscopo & collega quamuis iuniore paratum esse audire consilia, non à quoquam homūculo. Sed mirum est quam sępiùs in similia relabantur, & quæ directè contra ipsos faciunt, quam frequenter magno ausu atque inconcusso pectore pro se ipsis sumant: quasi modò lectores inscii sint, nec vnquam veri compotes futuri.

23. Addo quod si licebit votum istud intimiùs discrutinari, finis principalis Societatis in eo præscribendo, non videtur esse firmare voluntatem Episcopi ad salubriora consilia capienda, sed ad ipsum sibi strictiore vinculo obligandum in ordine ad sua ipsius consilia capienda; non enim obligat Episcopum, vt voueat amplecti omnia consilia meliora, sed ea tātum quæ proueniunt ex Societate; quandoquidem si primum intendisset, satis fuisset præfinire votum de consiliis præcise vndequaq. prouenientibus exequendis, (in quo casu cessasset omnis ratio

dubi-

dubitandi, cum longe foret subiectio determinatę personę Sacris Canonibus repugnans) At dum præfiniat, ac per votū obliget ad ipsius tantummodo consilia audienda, intendit verius Episcopum sibi vnire, & manu aliquid tenere, quo sua tantū consilia debeant exequutioni mandari, supponens, semper vel ferè semper ea fore meliora, quam quæ in mentem Episcopi venerint. Ergo finis principalis Societatis est Episcopum sibi peculiari modo vincire, & quodāmodo coarctare ad sua consilia sequenda.

24 Probatur tertio ex Pasqualigo, quia alioquin, si votum, quod emitteret Regularis obtemperandi, vel aurem prębendi consiliis sui Prælati regularis etiam postquam fuerit exemptus ab eius iurisdictione, foret validum, & obligatorium, non video, quomodo si is eximeretur per electionem in Papam nō teneretur ad illud implendum, si aliàs nollet secum ipse dispensare, sicut teneretur ad votum implēdū si vouisset agere quidquid perfectius esse cognosceret, aut ab aliis melius esse intelligeret (vt optimè probat Pasqualig. *in voto Societatis*. Item posset Summus Pont. plures è Societate Prælatos sufficere variis Ecclesiis, quarū omnium onus, imò & totius Christiani Orbis imperiū,

ac moderatio non tám Romani Pontificis, atque Episcoporum assumptorum, quam Prælati regularis humeris niteretur, pessetque identidem ipse Prælatus regularis in virtute huius voti adstringere Summum Pontificem, cæterosque Episcopos assumptos ad sua consilia audienda, in ordine ad regimen Vniuersalis Ecclesię, vel multarum Ecclesiarum inferiorum, quod piarum aurium est offensiuum.

Pelliz. loco cit. Dices in Romano quidem Pontifice id minimè procedere, quippequi non solum esset totius Ecclesię, Vniuersalis Episcopus, sed & supremus Prælatus omniū Religionum, ac proinde indecens esset eum tali uoto teneri.

25 Contrà, quia non tolleret, quin Prælatus regularis reuera talis esset respectu totius Religionis, ad quem ipse in specie obligatur non enim se coarctat ad Supremum Prælatum Religionis, qui est Papa, uel ad alium quem, sed ad talem in specie Prelatum, nempè Prępositum Generalem, seu quouis nomine uocetur is, qui ei Religioni præest; alias Episcopus posset detrectare auditum Generalis, dicendo se malle potius ea consilia audire à Supremo Generali omnium Religionum, qui est uerè Prælatus eius Religio-

nis,

nis, cui se obligauit, & sic frustrare finē legislatoris. Si ergo per Suarez & Pellizzar *loco cit. n.* 320. sufficit in Voto Societatis ad excludendum Iesuitam euasum Papam, ab illius obligatione, quod is nō fieret Præses alicuius, sed Vniuersalis Ecclesię, ac proinde non uerificarentur in ipso uerba Voti (cum alioqui potiori id iure deberet procedere in Summo Pontifice, ut discurrenti patebit) cur non è cōtra in casu nostro sufficiens ratio erit ad illum includendum, quod is non sit specialis Prælatus Religionis, sed uniuersalis omnium, diuersus ab illo, & Generalis uiceuersa sit uerus Prælatus Religionis, ad quem in specie se obligauit, unde in ipso uerificari propriè possint uerba uoti, se coarctantis ad Generalem Religionis?

26 Contrà secundò quia idipsum posset etiam dici de Cardinale Episcopo Protectore Ordinis, qui reuerá esset item Prę-latus eius Ordinis etiam suprá Generalē, ut eadem ratione non teneatur audire huiusmodi consilia á Generali.

27 Contra tertiò quia si per Pellizzar. non decet Papam sub tali uoto comprehend, quia ipse esset Supremum caput omnium Religionum, peto rursus quare indecens sit, Papam, ut Supremum caput

Religionis teneri audire infimum è Religione, nisi quia ut Superior audiret inferiorem, & Magister subiiceretur discipulo, (cum aliàs audire aliorum sensum, & consilium, ac deinde ad melius, uel ad id quod arriserit se determinare, in tanta rerum omnium cura non dedeceat, quin maximè ornet Pontificem) Ergo eadem indecentia, licet non tanta esset in Episcopo audiente ex obligatione, & sub peccato Prelatum regulárem qui licet non sit Superior Religionis, & Prelatus Regularis, est tamen simpliciter ratione gradus, illo Superior, ac respectu illius Magister, ac proinde licet non sit indecorum Episcopo audire pro libito sensum suorum inferiorum, & ad illum se determinare, cum suo meliorem in Domino iudicauerit, indecens tamen est audire eorum sensum non ex libito, sed ex præcepto, & sub peccato, & eorum meliora consilia, uelit, nolit, exequutioni necessario mandare, si à peccato immunis esse uelit, sicut indecens est in Papa.

28 Confirmatur, & explicatur tota hæc Doctrina exemplo Principis secularis exigentis iuramentum a suis subditis pro statu clericatus, quod affert Pasqualigus *loco cit. nu* 20. (quod perperam quidam intelligunt, seu ut uerius loquar, suo mo-

do

do intelligere uolunt, ut eodem á lectoribus intelligatur, sicque rete euadant á- lioqui concludentissimum) si enim Princeps sęcularis exigeret iuramentũ (spontaneum quidem, & nullo modo coactũ) á sui subditis, se, cum translati fuerint ad Statum Ecclesiasticũ audituros eius consilia, eisque semper, cum meliora suis cõpererint, parituros; hoc certè iuramentũ esset irritum, & inualidum, utpote pręiudiciale statui Ecclesiastico, (licet ex se precisè quid bonum sit audire consilia, et ea exequutioni mandare) quatenus per hoc iuramentum uirtualiter retineret sibi subiectas personas Ecclesiasticas, & istę ut tales se adstringerent ad Principẽ sęcularem, & quodammodo se illi subiicerent, quod est contrá statum ipsarum exigentem omnimodam exemptionem á Principe sæculari. Ita prorsus in casu nostro, si Pręlatus regularis exigeret uotum à suo subdito, ut cum translatus fuerit ad stát um Episcopalem, uel ad alium Ordinem, teneatur obedire eius mandátis, aut audire, & exequi sua meliora cõsilia, Votum esset irritum, & inane, quia sic pręlátus regularis in virtute tális voti retineret sibi virtualiter subiectum Religiosum iam factum Episcopum, aut ad aliam Religionem translatum, vnde, & præ-

præiudicâret, aut statui Episcopali, aut Ordini posteriori, quibus competit omnimoda exemptio à prælatis regularibus prioris Ordinis; Atqui eodem modo se habet Religiosus erga suam Religionē, ac prelatum regularem, sicut sæcularis erga Rempublicam, & Principem secularem, & eodem pacto eximitur is à iurisdictione Religionis, & prælati regularis, per Episcopatum, aut per trāsitum ad alium Ordinem, quo secularis per statum clericalem eximitur à Principe seculari. Et sicut ècontrà si Clericus iuraret se excepturum præcisè consilia, vndequaque prouenientia, & ea exequuturum, si meliora suis in Domino iudicauerit, tenebitur id implere, etiamsi à Principe sæculari, vel à quauis persona ea consilia prouenerint, quia per illud iuramentum se adstringit ad consilia precisè, nullo habito respectu ad personam, vnde proueniunt; sicque non derogat statui Ecclesiastico: ita & Religiosus si uouerit audire præcisè consilia, quę sibi suggerentur, &, si meliora fuerint exequutioni mandare, tenebitur ea audire etiam à prælato Regulari, quin & à quouis humuncione, à quo exhibebuntur, quia tunc nō se subijceret illi, sed exciperet consilia præcisè, ad quæ tantum se obligauit; vnde nec derogaret

suo

suo statui, & per consequens cum votum aliàs esset de meliori bono, et nullam haberet circunstantiam vitiantem, esset ualidum, atque obligatorium. Ex dictis aūt.

29 Colligitur primò quàm sint extra casum, quæ abundè satis congeruntur *in Achate* ad comprobandam perfectionem, ac bonitátem, quæ reperitur in audiendis aliorum consilijs, et operando ex eorum directione, ut exinde colligatur ualiditas huius uoti arctantis ad hæc consilia à determinata persona excipienda. Non, inquam, faciunt ad rem, & satius fuisset ab eà agglomerādo, ac tot paginas ijs onerando abstinuisse. Neque enim cum hominibus agitur, qui luce meridiana clarius nesciant, bonum esse in arduis rebus aliorum audire consilia, eaque exequi si bona fuerint (id namque nec Athei quidem negant) sed, qui dicunt, ad determinatam personam arctari, ut ab ea consilia excipiantur, itaut non possit quis eius auditionem detrectare, indecens esse ei, qui gradu sublimior est; Sicut ratione gradus indecens esse aiunt, Romano Pōtifici, ipsum cogi ex uoto ad audiendā consilia Generalis Societatis, cui quidem indecens non est, in tanta Ecclesiæ uniuersalis cura, aliorum consilia audire, ut inde cognoscat, quid sibi expediētius sit.

Sic

Sic bona procertò est Christiana Humilitas, atque ex Augustini sententia fundamentum omnium uirtutum; At cauendū maximè ne iuribus Ecclesiæ, aut gradui, quem quisque obtinet in Ecclesia sit præiudicialis, quorum seruandorum zelo, ita exarsisse legimus Episcopos alioqui Sanctissimos, & humillimos, ut pro ijs tuendis mortem ultrò subire non dubi-
30 tarint. Et de Cardinale quidem Bellarmino (ut alios antiquiores præteream) Archiepiscopo Capuano, Viro Ecclesiasticæ immunitatis ac suorum iurium acerrimo defensore hæc in eius profundissimæ Humilitatis commendationem à Viro integerrimo Michaele Monacho Sāctuarij Capuani Auctore, ac meo heù quondam amantissimo Institutore haussisse hisce auribus memini, quod, qui Magnatibus, ac Principibus aduentantibus, sua iura, dignitatem loci, ac titulos studiosissimè conseruabat, cum ipso tamen in Secretiore Domus cubiculo familiariter agens, vt in proximam Bibliothecam commearent, ipsemet candelabrum sumere, Ostij velum amouere, ac viam simplici presbytero parare non dedignatus est: cui de tanta Pontificis abiectione stupenti, ac dolenti, quod sibi id non permiterit, respondit dignam Bellarmino sen-

ten-

tentiam; Nihil Religioso Episcopo cordi magis esse debere, quàm Humilitatis affectum, quippe cui, cum præ sui status dignitate non semper expediat sese demittere, quando ad id, absque status Episcopalis læsione sibi pateret ansa, non esse prætereundam. Non ergo mirum si ipse Sanctissimus Præsul huius voti seruandi fuerit studiosissimus, tantus enim erat illi in Societatem matrem suam adfectus, tantus Humilitatis amor, vt vel non agnouerit hanc dependentiam à Societate Sacris Canonibus aduersari (cæcus namque fingitur Amor) vel si agnouerit, cōsilia illa non vt coactus à Voto, sed sponte sua, videns præsertim quantum vtilitatis inde sibi obueniret, exceperit; cuius rei non minimum argumentum est, quod non solo triennio quo Capuanam Ecclesiam rexit, sed & toto Cardinalatus tempore, pro quo ex Societatis Doctrina hoc votum non obligabat, nullo ad id adstrictus vinculo præstitit. Id similiter dicendum de Cardinale Toleto (si modo id exequutus est) Idem de Pasmanio, ac reliquis Episcopis assumptis ex Societate. Idipsum de tot Societatis scriptoribus, qui votum hoc tanquam ualidum aut expresè probarunt, aut tacitus admisere nulla circa illud dubitatione con-

cepta,

cepta, quod ſcilicet, aut amor, aut timor Societatis eos tenebat, ne veritatē agnoſcerent, ac votum iſtud intimiùs ponderarent: & ſi fortè dubium aliquod obueniret de eius validitate, protinus illud vti pernicioſum, atque inutile ablegarent, nec auderent ea de re ſuſpicionem cuiquā ingerere, nedum Societati mentem ſuam manifeſtare. Quodſi vni ex Societate durum videtur, quod extráneus quis de huius uoti validitate primus dubium ſuſcitauerit, doletque cum eius Ordine, quod approbationem ſuam operi præfixerit, (cum alioqui, qui opus approbauere viri ſint omni exceptione maiores, eruditiſſimi, atque egregijs editis ſcriptis clariſſimi: & alia ex parte, liber, qui rectę fidei, aut bonis moribus non aduerſatur abſque iniuria nequeat à Cenſoribus reijci) Qui ſibi iure quiſquam ſuaderi non poterit, Societati Vniuerſę minimè arriſurum, ſi quiuis ex ea ſcriptor hanc prouinciam tentare auſus fuiſſet, vt propterea is, vt ſuæ paci conſuleret, ab huiuſmodi ſcriptione ſibi abſtinendum duceret, vel ex eo, quod liber nunquam foret à Societate admittendus ſed potius publico igne cremandus? Poſſet quis, nec fortaſſe improbabiliter addere id etiam ab aliquo fuiſſe attentatum ſed cōfeſtim
omnem

omnem ei à Societate scribēdi, aut quouis modo mentem suam manifestandi aditum fuisse præclusum. De Cœteris autem tum Societatis, tum reliqui Orbis Doctoribus, ac Theologis id minimè præsumendum, cum istorum sensus circa huius uoti ualiditatem è Celebrioribus Europæ Academijs expetitus, doctissimis datis responsis, qui adhuc extant, apertissimè innotescat; & ex illis plurimi, quos non amplius timor Societatis angebat, sæpius interrogati, ingenuè fassi sunt, se ex tempore, quo de eius nullitate fama percrebuit, nullum existimasse. Quod ego de sexcentis alijs extra Societatem Theologis à me consultis attestor. Vt proinde iure ab aduersarijs dici non possit, contra omnes loqui eum, qui Votum istud oppugnat.

31 Colligitur secundò quàm gratis negetur, per hoc Votum verè derogari exemptioni Episcoporum Regularium ipsis iure communi concessæ, & Prælatum regularem ratione illius nullam accipere iurisdictionem, ita ut iure valeat exhibere huiusmodi consilia Regulari exempto, et iam si alias renitenti, illumque cogere coram Deo, & in foro conscientiæ ad se audiendum, & ad exequēdum, quod illi consulerit, si fortè sit melius, quam

quod

quod in mentem venerit; Nam nõ poteſt preſcindi à ratione talis promiſsionis, & Voti facti in manu Prælati Regularis, (quod eſt ſpecies quædam contractus) obligatio in vouente, ac dependentia erga Prælatum Regularem, & in iſto ius, et poteſtas dandi huiuſmodi conſilia, & ad cogendum in foro conſcientię ad eà audienda; ſicut nõ poteſt prẹſcindi à ratione voti ſolemnis Obedientiæ, quod fit in manu Prælati regularis obligatio, & ſubiectio in vouente, & viceuerſa in Prelato præcipiẽte ius, & poteſtas precipiẽdi.

32 Colligitur tertiò, gratis negari, per huiuſmodi Votum, ſi fieret ex præſcripto Regulę, & in manu Prælati regularis, nõ extingui totaliter obligationem Regulæ in Religioſo omnimodè exempto, & Prælatum ratione ipſius, non poſſe præcipere (quod aliud non eſt, quam coarctare in conſcientia) in virtute Obedientiæ ad obſeruantiam huius Voti. Siquidẽ Votum iſtud eodem modo præſcriberetur à Regula, ác quælibet alia obſeruantiá. Sicut ergo harum obſeruatio conſurgit nedum ex virtute Religionis, ſed ex obligatione, & impoſitione Regulæ, et per illarũ fractionem Religioſus infringens verè diceretur tranſgreſſor Regulæ ità & iſtius Voti obſeruatio, ſi emittere-

tur

tur ex præscripto regulæ consurgeret nedum ex virtute Religionis, sed & ex ipsa Regula illud præscribente, & Religiosus illud adimplens verè adimpleret partem Regulæ illud præscribētis. Vnde iam putet, quod si Votum teneret, adhuc vigeret in Religioso exempto obligatio Regulæ secundum partem, & non extingueretur totaliter. Quod videre est in eisdem votis substantialibus, quæ etsi potioris iuris, & eorum materia ferè semper sit adimplenda ab ijs, qui sic eximuntur, nihilominus, quà proueniunt ex Regula, & à Regula præscribuntur eo ipso cessant ex natura rei, & eorum obligatio si aliàs vrgeat, iam oritur, vel ex obligatione Regulæ nouiter susceptis, et votis denuò nūcupatis, vel ex Sacris Ordinibus, & statu Episcopali, vt de Episcopis Regularibus ait Angles *in 4. part. 2. quæst. de Voto artic. 2.* Ouand. *distinct. 38. propos. 17.* Medina *de Sacra Hominis continentia lib. 8. cap. 26. & 27. Hurtad. 2. 2. Volum. 2. de fide spe & Char. disp. 160. section. 5. §. 65. & seqq.* & alij quos refert & sequitur Pasqualig. *decision. 269. et* 270. addens in Episcopis Regularibus ex natura rei cessare talia vota. Si ergo in Episcopis, quia cessat Regula cessat & obligatio Votorum substantialium consurgens ex Regula, potiore iure cessabit

in

in ipsis obligatio huius Voti specialis, quę sit ad præscriptum Regulæ, et est pars ipsius. Cum ergo dicatur non cessare, iam sequitur, non extingui totaliter obligationem Regulæ in huiusmodi exemptis, sed adhuc remanere secundum partem. Similiter cum Prælatus regularis per illud Votum acquisierit ius ad ea consilia danda, vt toties probatum est, sequitur optimè, ipsum posse præcipere, in virtute Obedientię illius obseruantiam: quod aliud non est, quàm coarctare pro foro conscientię, & adstringere vouentem in virtute eius obligationis, qua sponte Deo promisit addictionem Prælato regulari, in ordine ad audienda eius consilia, & exequenda, quæ meliora esse cognosceret.

33 Colligitur quartò Prælatū regularē, seu Regulam præscribentem, & exigentem simile Votum á suis subditis, verè extendere suā iurisdictionem in personas exemptas, & vltra, quam liceat: quamuis quo tempore votum præscribitur, ac nucupatur, vouens supponatur esse sub directione, & potestate Prælati regularis, & Religionis, quæ tale Votum præscriberet, sicut verè ultra sphoeram suæ iurisdictionis se extenderet Princeps secularis, qui simile Votum, aut Iuramentum

exi-

xigeret à suis subditis, dum adhuc ij subsũt illius iurisdictioni pro tempore, quo ab ea per Clericatũ eximerẽtur, quatenus uterque in uirtute illius uoti, aut iuramẽti, quod exigeret retineret sibi alligatas personas exemptas; Et quia non potest pro tempore exemptionis cogere ad id quod intendit, præuenit tempus, & per eius uoti exactionem, uult manu aliquid tenere, quo suum intentũ habeat, & subditus ad illud implendum necessitetur. Neque enim finis, quem principaliter intendit, est actio illa, qua uotum emittitur, sed potius ipsa adimpletio uoti; quod scilicet uouens, huiusmodi consilia à Prelato percipiat. Vnde iam patet clarissimè, eum, qui Votum hoc præscriberet, habere respectum ad materiam huius Voti exigendam, ac proinde intendere suam iurisdictionẽ vltra quam liceat, dilatare, nempè Clericum, aut Religiosum exemptum regulandum esse ab eius uolũtate, & quodammodò se immiscere in Ecclesijs administrandis, aut in iudicijs fori Ecclesiastici, nec non in ijs omnibus, quæ alieni sunt iuris, atque ad ipsum nullatenus pertinent.

4 Petes pro coronide discussionis. An er hoc quod Votum huiusmodi non vrgeat pro tempore exemptionis, reddatur

 pror-

prorsus inutile, itaut nullam prorsus inducat obligationem, ut ponatur ad extra ac proinde frustra emittatur?

Respondetur negatiuè nam potest saltem vrgere pro tempore, quo Regularis est sub Prælati regularis directione, itaut pro illo saltem tempore, quo est religiosus illius ordinis teneatur speciali modo illi obtemperare, uel audire consilia, eaq. si meliora fuerint exequutioni mandare, quamuis si spectes tempus exemptionis non vrgeat. Idque probatur ex regula illa generali, quam tradunt communiter DD. quod quando Votum est de re partim bonà, partim mala partim vtili, partim inutili, partim possibili, partim impossibili, tunc accipiendum est secũdum sui bonitatem, itaut obliget ad eam partem, quæ euincitur bona, vtilis, & possibilis, altera mala, inutili, & impossibili corruente, & Ratio est quia tunc Votũ cẽsetur factum per modum plurium Vototum: Vnde quamuis Votum de re inutili sit irritum, & inualidum; ualidum tamen est Votum, quod fertur in materiã utilem ac licitam, quæ etsi ex parte sit illicita, non tamen per hoc euadit illicit: secundum aliam partem, quia utile per inutile non vitiatur, *cap. vtile de regul. iuris in 6.* Ita Suar. Layman Bonacc. Villalob.

Trul-

Trullench & alij communiter ab ipsis citati.

35 Limitant tamen prædicti DD. modò Vouens non intenderit utrumque per modum unius uouere, uel unum dependenter ab altero; nam tunc ad neutram partem teneretur; quia in eo casu Vouens non censetur uelle se obligare ad unum, quod cum altero, quod cum illo efficaciter uult, nequit subsistere. Vnde in casu nostro, si Religiosus iste uouisset peculiarem Obedientiam Generali, uel exequutionem eius meliorum consiliorũ tam intrà, quam extrà Religionem per modum unius uoliti: uel principaliter pro tempore exemptionis, & accessoriè pro tempore Religionis; aut ita se obligare intẽderet, ut, si unum ex iis, quæ uouet, deficiat, & exequutioni mandari nõ queat, nolit Votũ habere locum, ipsum iam totũ deficit, & sic Vouens ad neutrũ tenetur. Secus autem est discurrẽdum, si vouisset principaliter obedire, aut audire consilia intra Religionem, & tanquam accessorium uelit etiam, illud locum habere & extrà Religionem, aut etiam uelit alterutram partem amplecti independenter ab altera; quia tunc teneretur ad illud implendum saltem quamdiù est in religione; cum se-

cundum hanc partem Votum habeat suam validitatem, & hic spectet quod dicitur *in capit. Vnico §. de desponsation. impuber. in 6. Si non valet quod ago, vt ago, valeat, vt valere potest.*

(?)

DISCVS-

DISCVSSIO II.

An, si extaret aliquod Statutum, seù Consuetudo in aliqua Religione præscribens simile Votum; illud ex hac parte arguatur, vel fiat etiam Validum?

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi proponitur.*

2 *Neque arguitur Validum, neque reualidatur per generalem Confirmationem statutorum Religionis.*

3 *Quod habet aliquam deformitatem non eo ipso intelligitur per generalem Confirmationem approbatum.*

4 *Confirmatio generalis accipi debet iuxta terminos communes, & modò iuri com-*

 An si extaret aliquod Statutum, &c.

muni non aduersetur.

5 *Non potest dici per eã derogari iuri cõi, si illi obstet, nisi de eo specialis mentio fiat.*

6 *Pontifex per generalem Cõfirmationem approbat totam collectionem statutorum secùs autem singula seorsum sumpta.*

7 *Idque asserere non est iniuriosum, sed valdè honorificum Sanctæ Sedi, ac veritati consonum.*

8 *An de Statutis, & Constitutionibus Societatis Iesu eodem pacto sit discurrendum?*

9 *Instantia pro confirmatione Instituti PP. Theatinorum.*

10 *Alia instantia pro ijs qui oppugnarunt alias Constitutiones Societatis, & aliorum Ordinum.*

11 *Per confirmationem Statutorum Societatis non arguitur maior firmitas, quam quę est reperiri in alijs Statutis Ordinum confirmatis.*

12 *Patet id exemplo collectionis fidelium constituentium Ecclesiam Catholicam.*

13 *Nec nõ Religiosi status, qui de Fide est perfectior sæculari.*

14 *Non officit Excommunicationis pœna impugnantibus fulminata.*

15 *Votum Societatis videtur in specie à Pontifice reprobatum, tantum abest quod in generali Confirmatione sit comprehensum.*

16 *Omnis ratio postulabat, Vt de hoc Voto, quẽ-*

admo-

ádmodũ de cęteris fieret expressa mentio in Bulla Gregorij.

17 *Hoc solum præ cæteris ratione suę dubietatis petebat expressam, & indiuiduam confirmationem.*

18 *Dici non potest, quod fuerit prætermissum, quia impertinens erat eius mentio.*

19 *Votum huiusmodi non potest dici comprehensum sub generali Confirmatione.*

20 *Illud impugnans, non per hoc impugnaret vllam Constitutionem ex approbatis aut vllum articulum Bullæ Pontificiæ.*

21 *Idque etiamsi Societatis Constitutiones eodem modo denuò generaliter approbentur.*

22 *Immo ex Doctrina Aduersariorum posito adhuc quod eadem constitutio, vt se habet, sit in specie confirmata.*

1 Difficultás consurgit ex eo, quod omnia ferè Statuta, & Cõsuetudines Religionum saltem, quæ nunc vigent, supponuntur approbata, & cõfirmata a Summis Pontificibus approbantibus in vniuersum, et Apostolica firmitate roborantibus Institututum & constitutiones cuiuscumque Religionis, quę quidem ap-

probatio, & Apostolicæ firmitatis robur adiectum tanti est, vt multi DD. censeāt, non posse absque errore in fide negari, & improbari quod eā approbatione statuitur, & firmatur. Siquidē Papa ex Christi Domini institutione, ac promisso non potest errare in ijs, quę ad doctrinā pertinent, & eius sententiá habet certitudinē infallibilē, *ex Luc. 22. & Matth. 8.* Quapropter, si huiusmodi Statutum præscribens tale Votum extaret inter Constitutiones, & Consuetudines alicuius Religionis approbatas iam, & firmatas authoritate Summi Pontificis, videtur habere, aut saltem, ex hac parte acquisijsse iam suam firmitatem, ac validitatem, licet alias Votum fuisset prius irritum, et inane, vtpote contrarium Sacris Canonibus, et alienis iuribus; idque ex eo quod Papa est supra ius commune, ideoq. potest illi derogare, atque efficere, vt eo non obstante possit Religio, et Prelatus regularis habere ius, et potestátem in Religiosum Episcopum, seu translatum ad aliū Ordinem; atq. iste viceuersà maneat, adhuc adstrictus, et obligatus legib. prioris Ordinis, eiusque Prælatis addictus. His tamen non obstantibus.

Apud Pelliz zar. loco citat. §. Probatur 2.

2 Respondetur absque vlla hæsitatione ac formidine, Votum huiusmodi nullo

pacto

pacto argui posse validum, vel etiā fuisse reualidatum, aut in posterum reualidatum iri per subsequentem generalem confirmationem omnium Constitutionū, ac Statutorum Religionis, nisi in specie, et in indiuiduo fiat mentio de illo, et specialiter approbetur, declareturque ex certa scientia validum cum clausulá derogatoriá Iuris communis. Itá in terminis Pasqualigus *De Voto Societatis Decis. nouiss.* et in simili Lorcá *in Secundam secundæ quæst. 33. art. 8. sect. 3. disp. 47. nu.* 14. differens de alia constitutione Societatis deferendi crimina occultá Prelato, vt Patri absq. præuia correctione, et concludens illam esse illicitam. Accedunt etiam Philiarcus *tomo* 1. *secunda parte lib.* 4. *cap.* 14. Lopez de Texeda. *tomo* 1. *lib.* 1. *tractat.* 3. *controu.* 4. *per totam* etiā positá renūciatione famę, quæ fit in Societate, et alii quos refert Diana *parte* 3. *tract.* 3. *de dubiis regul. resol.* 37. & *par.* 7. *tract.* 3. *de correctione fraterna resol.* 45. dicens ex Hieron. Rodriq. *in compend. quæst. regul. resolut.* 36. huic sententię adstipulatā fuisse Academiā Salmanticensem, utpote probabiliori, quibus etiam subscribere videtur Bannes 2. 2. *q.* 33. *articul.* 8. *dub.* 2. valdè dubitans, an hæc renunciátio famæ fieri expediát ab áliquá Religione: signātes tacitè Societatem. Et tamen hęc Constitu-

stitutio Societatis extabat inter alias cum a Gregorio XIII. fuerunt omnes confirmatæ. Præterea in id conuenire debent omnes ij DD. qui apud Dianam. *p. 5. trac. 3. resolut. 136.* et Sà *Verbo Religio nu. 58.* dicunt Statutū PP. Carthusianorum de abstinendo a carnib. etiam in periculo vitę, non esse licitum, vtpote aduersans iuri naturali tuendi propriam vitam, quod Statutum est similiter confirmatum in specie à Pontific. Paulo IV. quinimo eius obseruatio ab eodem Pontifice sub pœna Excommunicationis fuit Patribus illis iniuncta, quam Pōtificis approbationem non aduertisse crediderim Castro Palao *tract. 6. de Charit. disput. 3. punct. 12. & Coninch. De Charit. disput. 28. dub. 12. num. 225.* dum aiunt, esse disparem rationem de eo, ac de Constitutionibus Societatis, cum id non supponatur confirmatum, quippequod emanauit centum post annos ab Ordinis confirmatione. Quā propter eadē ratio vtrobiq. militat, & fortè maior in isto cum sit confirmatum in specie. etc. Vt proinde mirum sit, eos qui votum istud sùs dèque licitum, ac validum volūt, ad abolendam eius disputationē, eousque venire, vt iniectā religione erroris in fide studeāt homines absterrere ab eo discutiendo, dicentes non esse in pote-

stâte

stâte DD. de eius validitate in vtramque partem disserere, quando illud inuenitur inter reliquas Constitutiones à Pontific. generaliter approbatas. Cum certè ex eorum effectis sequeretur, omnes istos DD. & alios penè innumeros citandos esse ad Tribunal SS. Inquisitionis; atq. interrogandos, quid sentiant de fide. Quod sanè valdè ridiculum est.

3 Probatur itaque respōsio, quia, quod habet aliquam deformitatem, & repugnantiam cum iure communi (etsi fortassis a Principe auferibilem) nō eoipso censetur approbatum, eiusque deformitas ablata per generalem tātùm Confirmationem, quæ specialem de eo mentionem nō faciat, sed solum, afficiat totum quid, sub quo illud comprehendatur. Ergo, cum Votū hoc ex sui natura sit nullum, & illicitum, eoquia aduersatur Sacris Canonibus (vt apertissimè monstratum est *Discuss. præcedente*) non reualidatur, vel etiam argui potest validum per generalem confirmationem eorum inter quæ, & ipsum connumeratur. Antecedens probatur, quia etsi Princeps de plenitudine potestatis possit approbare, quæ aliàs à se, vel à suis prædecessoribus infirmata fuere, aut etiam cum suis legibus pugnant, non tamen ita facilè censen-

Vide Io. Andreā Panorm. et passim Canonistas in c. examinatas de Confirm. vtil. & inutili, et in c. quia diuersit. de conc. ceff. præbend. vbi latè explicant. quid importet cō. firm. facta in forma cōmuni et quid cō. firmatio in forma speciali.

scendus est velle suis, uel prædecessorum suorum legibus derogare absque matura discussione, & non expressa causa derogationis; sed tantum per eam generalem Confirmationem approbare quæ sunt licita, & honesta, secùs autem, quæ cum suis legibus pugnant, & non nisi ex grauissima causa esset uerosimiliter concessurus: Aliàs magnum leuitatis, & legum suarum, uel prædecessorum, contemptus, argumetum præberet. Quod de eo nefas est suspicari.

4 Confirmatur, quia Confirmatio generalis fit semper cum clausula *dummodo bonis moribus, aut iuri communi non sit contrarium* quod cõfirmatur, aut saltem, si hec non adsit, presupponi debet implicitè adiecta, atque adeò, eam non extendi, nisi ad id quod iustum est, et honestum, nec iure communi contrarium, vt docent Bartol. *in l.p.num.* 1. *ff.de his, qui sunt sui vel alieni iuris.* Bald. *in l.omnes populi.num.* 37. *& in l.nominationes, cap. de appell. &c. examinata de confirmat. vtil. vel inut.* Oldrad. *consil.* 164. *per totam Lanar.consil.* 65. *numer.* 31. *&* 32. *A Ponte consil.* 57. *numero* 74. 75. *&* 76. *Caball. milleloq.* 66. *Ias.consil.* 122. *versic.nec etiam* Alex. *cons.* 59. *numero* 8. *libro* 1. Parif. *cons.* 19. *nme.* 14. *lib.* 3. Socin. *iun.cons.* 31. *nu.* 43. *lib.* 3. Decian. *in tract.crimin.par.* 1. *lib.* 2.

cap.

cap.37.*num*.3.Zatius *cons*.5.*num*.74. *libr*.1. Ceppo .*cons*.*crim*.15.*num*.3.Surd.*cons*.157. *num*.24.*lib*.2.Rota sæpissimè *in suis Decisionibus præsertim par*.3.*decis*.3.*num*.17.& alii pene innumeri apud ipsam. Ergo nõ per hoc,quod Votum hoc sit inter alia statuta,& Cõstitutionis alicuius Ordinis, quæ fuerũt cõfirmata per generalem confirmationem intelligitur & ipsum confirmatum cum sit iuri communi contrariũ. Et tamen aduersarii qui aliàs in aliis casibus id concedunt,in hoc vno huius voti constantissimè, nè dicam pertinaciter negant nullo auctore, vel ratione suffulti.

Dices, potest reualidari hoc votum per clausulam derogatoriam *Non obstantibus constitutionibus,& Ordinationibus Apostolicis*, per quam fieret,ut non remaneret intrinsecè malum(cum alias sit de re licita,& honesta)quatenus tolleretur illa deformitas contrarietatis,et pugnę cum iure communi,per hoc quod Religiosus exemptus, eo non obstante, subderetur iurisdictioni Prælatorum regularium in ordine ad audiendã eorum cõsilia, & eã si meliora fuerint exequutioni mandanda. Ergo,istã ablatã per illam clausulam, iam Votum remaneret licitum, & honestum,ac per consequens sub generali cõ-

firma-

firmatione comprehensum.

5 Contrà, quia, si Exemptio huiusmodi competat Regulari ex priuilegio inserto in corpore iuris, non intelligitur abrogata per generalem Confirmationem statutorum, appositis quibusuis clausulis irritantibus, & sub quibusuis verbis amplissimis factam, nisi specialis, & indiuidua mentio, ac derogatio fiat iuris communis in contrarium stantis (quod non procederet in casu, quo illa exemptio aliundè haberetur) Ergò si Regularis eximatur per Episcopatum, aut per transitū ad alium Ordinem, illius exemptioni non censetur derogatum per illam clausulam generalissimam irritātem, quia eius priuilegium est insertum in corpore Iuris, ac proinde Votum illi derogans non censetur confirmatum, & habere vim, per generalem Confirmationē, quæ non derogaret iuri communi, cum nunquam censeatur Pontifex velle derogare iuri communi, nisi de eo faciat specialem mentionē, vt docet Glos. *in l. Hæres ff. de iudic. & authent. capit. vbi de crim. agi oportet.* Barthol. & Bald. *ibi* Felin. Menoch. Perez Ruin. & ex Theol. Suar. Miranda. Castro Palao. Salas. Arriaga. Caspensis, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *tom. 2. consil. libro 7. capit. 1. dub. 23.* & nouissimè

Quin-

Quintanaduenas *in singular. ad sept. Ecclesiæ Sacramen. tract. 3. singular. 16. n. 5.*

6 Ad rationem autem dubitandi *supra* positam facilè respondetur, Pontificem per generalem confirmationem solùm approbare ea, quæ digna sunt approbatione, & iuri communi haud obuia, vt tenent communiter DD. supra allati. Per hoc verò, quod addat robur Apostolicę firmitatis, itaut, quod ipse per eam confirmationem confirmauerit, ac definierit, sit infallibile absque temeritatis vel etiam erroris nota non possit improbari; sequitur, solùm totam collectionem statutorum, et eorum, quę confirmauerit non posse negari absque errore in fide, atque adstrui malam, et illicitam, secus autem singulas eius particulas, ut explicant DD. *supra n. 2. citati.*

Addo, quod nō est improbabile, quod multi DD. et quidem ualde docti dicunt, Papam in Confirmatione statutorum Ordinis alicuius nō approbare ea tāquā infallibilia, ac de fide tenenda (aliàs non posset ea pro suo libito damnare, & reprobare, vt egit quandoque) sed vt conducētia ad externam politiam, & ad bonum publicum religionis, licet fortè sacris Canonibus aduersentur: imò non semel in gratiā Religionis, quoad aliquid

ex-

expressè sacris Canonibus obuium sese Religioni gratiosiorem præbuit, ac sacris Canonibus derogauit. Vide & Alphons.de Castro aduersus Hereses libr. 1. cap.7. de approbatione librorum ss.PP. in Conc.Rom.facta à Gelásio Papa.

7 Neq. hoc dicere est iniuriosum Sedi Apostolicæ,eiusq. auctoritatem minuit, quinimò eius Oraculi firmitatem, & infallibilem certitudinē piè ac sanctè custodit;cum non dicamus, Sāctam Sedem nō posse singulis veritatem infallibilem addere,si voluerit,sed defacto nolle eam singulis dare,sed omnibus in vniuersum. Quandoquidem,si aliàs vellemus singulis Constitutionibus,ac minutijs,quæ sūt in tota collectione statutorum alicuius Ordinis à Sancta Sede confirmatorum, addere Apostolici Oraculi firmitatem,et infallibilem certitudinē,multùm periclitaretur eius auctoritas,& grandis præberetur occasio,nedum Hæreticis illā carpendi,eiusque infallibilem veritatē, quā fides adstruit, impiè illudendi;sed & Catholicis de ea re dubitandi, cùm alioqui uiderent multa,inter diuersorum Ordinū Statuta,& Constitutiones,quæ non benè consistunt,ac tùm iuri naturali, tùm Sacris Canonib.tum Dominicis præceptis, aut Consiliis Euangelicis videntur non leui-

leuiter aduersari: Vt proinde non pauci sint, qui dubitent de Consuetudine PP. Carthusianorum abstinendi à carnibus etiam in periculo vitæ: nō obstante, quod ipsa specialiter fuerit à Pontifice approbata, vt vidimus: De alia Cōstitutione Societatis deferendi crimina occulta ad superiorem tanquam ad Patrem, absque præuia correctione: De Statuto quarundam Religionum non recipiēdi, nec admittendi ad Professionem descendentes ex Iudæis, & quod, si admittantur, professio sit nulla: & alij huiusmodi, quę supponuntur saltē confirmata in generali confirmatione Constitutionum, ac Statutorum illorum Ordinum. Et nihilominùs multi sunt, ut dixi, qui ea, confirmatione non obstante, dubitant de eorum validitate: ac tandem absque formidine concludunt, esse illicita, & inualida. Si ergò his omnibus, & multis aliis vellemus infallibilem certitudinem dare: magnum scādalum, ac perturbatio in Ecclesia Dei suscitari posset, cum præiudicio fidei, ac Sedis Apostolicæ, quippe cùm tribueretur ei, quod nunquam fortè somniauit, atque ab ipsa de fide stabilitum prętenderetur, quod ab aliis iure vertitur in cōtrouersiam. Meliùs ergo, & maiori cum veneratione eius infallibilis certitudinis,

& firmitatis, quam à Christo Domino habuit, dicendum est, id tantum esse firmum, atque indubitatum, quod Summus Pontifex ex certa scientia, sub expressis vocibus, ac disertis verbis definierit tamquam veritatem infallibilem, ac de fide: Secùs verò, quod per verba generalia, ac generalem confirmationem approbauerit, cum hæc appellet solum totam collectionem eorum, quę approbantur, non autem singulas eius particulas.

8 Instabis. Saltem in Societate IESV, in qua extat non absimile votum inter eius Constitutiones, est peculiaris ratio, eius efficaciam ac validitatem ex Apostolica Confirmatione adstruendi; Quandoquidem Gregorius XIII. in Bulla, quę incipit *Ascendente Domino* edita anno 1584. & relata in Bullario inter eius Cōstitutiones, approbauit, & confirmauit omnes Constitutiones, Decreta, ac Statuta qualiacūque Societatis (inter quæ adest & Constitutio de huiusmodi Voto) his verbis. *Constitutiones quoque, ac Statuta, ac Decreta qualiacunque, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur pro expressis habentes, tenore præsentium approbamus, & confirmamus*. In quibus apertè patet hanc generalem Cōfirmationem, nedum omnes Cōstitutiones in vniuersum amplecti, sed & singulas

lás singillátim expendere, & approbáre: adeout veritas ista videatur iam Apostolico Oráculo definitá, eo pacto, quo ab eodem Gregorio *in citata Bulla* definitum fuit, Scholares Societátis IESV, per vota biennij cõstitui verè, ác propriè Religiosos: de quo nũc absque errore in fide dubitari non posse, optimè probat Suárez. Insuper idem Pontifex in eádem Bulla sub pœná Excommunicátionis latæ sententiæ, álijsque pœnis Pápæ reseruátis, præcipit in virtute Sanctæ Obedientiæ, ne quis, cuiuscumque Status, grádus, ác præeminentiæ existat, qui Societatis Institutum, & Constitutiones, quouis disputándi, vel etiam veritatis indágande quæsito colore, directè, vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat. Ergò quiá reuerâ cognouit, in ijs nihil extare absonum, nil nõ bonum, nil nullum: sed omnia bona, ac licitá, atque ideo Apostolic Oraculi firmitate roboratá. Nõ potuisset autem hæc tam firmiter stabilire, si in Societatis Instituto quid esset, quod, An licitum, & bonum sit, verti posset in dubium.

9 Respondetur primò per instántiam, contra nonnullum ex ijs, qui istá obijciunt. Etiam Institutum P. P. Theatinorum, eorumque Constitutiones, eo prorsus

sus pacto, quo Constitutiones Societatis licet non sub iisdem verbis, fuerunt confirmatæ, & approbatæ à Summ. Pont. prę sertim à Clemente VIII. in Bulla, quæ incipit. *Etsi ex debito Pastoralis officij* edita 28. Iulij anno 1604. in qua hæc disertissimis verbis habentur. *Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine HVIVSMODI LAVDABILE INSTITVTVM, ac prędictas omnes, & SINGVLAS Constitutiones, Ordinationes, & Statuta visa, & examinata, quarum, et quorum tenores, acsi de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro expressis haberi volumus auctoritate Apostolica, tenore pręsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque perpetuum, & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus &c.* Et tamen adest nescio quis, qui *huiusmodi laudabile Institutum* uiuendi scilicet ex sponte oblatis, quod est inter præcipuas eorũ Constitutiones, in uniuersum carpere, improbare, ac dãnare non reformidat: quòd suo illo inuiso Paupertatis genere, Deum ad Miracula prouocet, quod Religiosæ Humilitati consonum non sit, dum petere à fidelibus uictum dedignatur: quod nil laude dignum, nil uirtuosum sonet, quin, & naturæ legibus aduersetur: & alia indignissima, quę pudet hic, vel detestationis ergò

gò referre;Illud inquam Institutũ, quod Theatinæ perfectionis summa est, distinctiuum ac (pace eorum dixerim) totá ferè suppellex : quod Vrbani VIII.Pontificis Sanctissimi æquè , ac Sapientissimi Oraculo commendatum propemodum fuit, ac Patribus illis ád generaliá Comitia congregatis enixè iniunctum,vt illud exactissimè custodirent , dicendo in specie (vt refert Silos *in Historiis illius* Ordinis) *Singulare id quidem esse, ac præstantissimum Ecclesiæ decus, ac nulli Religiosorum Ordinum,iuge id Paupertatis,ac Prouidentiæ Miraculum experiri contigisse; Curarent proinde, Vt incorrupta isthæc laus in posteros deducatur, nec sinerent, vnicum hoc Ecclesiæ, ac Religiosæ disciplinę ornamentum dilabi.* Is inquã, hoc Institutum in *suis Interrogationibus Apologeticis* (si modò Apologeticę sunt) dámnare non reformidat , nec timet errare in fide,aut ád minus temeritatis notám subire &c. qui alij scrupulum inijcere satagit , quod,non Societatis Institutum , non eius Constitutiones in vniuersum,sed vnicám tántum eárum particulam,hoc videlicet Votum,quod in Societatis Constitutionibus inuenitur, non dico apertè vt malum,sed tántum, vt extrinsecus non bonum , quod Sacris Canonibus aduersetur (aliàs quoad eius

libr. 2 pag. 65

Interrog.16. & alibi passim.

 sub-

substantiam concedens bonum, ac licitum) vertit in controuersiam,& probat nullum? Vt proinde hominem illum imitari sit visus, de quo habetur in Euangelio *Matth.7.& Luc.6.* qui festucam de oculo fratris eijcere satagebat, cum trabem densissimam ante oculos suos positam nõ videret; iureque in eum recidat, quod insignis Theologus, atque optimus hæresum discretor Alphonsus de Castro *aduersus Hęreses lib.1.c.7.* de huiusmodi facilè de hæresi pronunciantibus scribit. *Quò fit, vt hi, qui tam leuiter de hęresi pronunciant, non expendentes de qua re loquantur, sæpè sua ipsorum feriantur sagitta, incidantque in eam foueam, quam aliis parabant.*

10 Respondetur secundò etiam per instantiam. Si ea generali Confirmatione singulis Cõstitutionibus seorsim sumptis prouisum fuisset, ac veritas infallibilis addita; sequeretur, nullam ex ipsis verti vnquam in dubium potuisse absque errore in fide; ac proinde infidelitatis crimine obnoxios eos omnes fuisse, quos *sup.n.2.* pro nostra conclusione retulimus, & alios plures, quos affert Diana, & Rodriq. *loc.cit.* qui Constitutionem alteram Societatis de denunciandis criminibus Superiori absque preuia correctione sepius impugnarunt: necnon Excommunicatio-

nis

nis pœnam, & alias Papæ reseruatas etiã incurrisse. At nunquam eos audiui de tali crimine sibi scrupulum fecisse, atque absolutionem à Pontifice postulasse, cum alioqui supponantur viri conscientiæ timoratæ, pij, ac Religiosi, æquè ac PP. Societatis, quos inter sunt duo ex Religiosissima, ac Sapientissima Dominicanorum familia, duo item ex almo Cistercensium Ordine; Sicutècontra à nemine eos audiui damnatos, ac declaratos Excommunicatos. Quod item dicendum proportionaliter esset de alijs Ordinibus qui eãdem ferè approbationem suarum Constitutionum à Pontifice impetrarũt, & quorum Religiosi communicant cum Iesuitis in priuilegijs; vt scilicet non potuerit, aut possit vnquam aliqua eorum Constitutio, si quid absonum habeat, impugnari absque errore in fide, & absque timore saltem incurrendi easdem pęnas, ac nominatim Constitutio Carthusianorum &c. Quinimò, cum plerique Ordines habeant priuilegium, nouas Constitutiones edendi, ac veteres immutandi, quæ eo ipso sunt Apostolica auctoritate confirmatæ; sequeretur, eos, qui eiusmodi Constitutiones edituri sunt, non posse errare, aut saltem si eæ bonæ sint, nec Sacris Canonibus obuiæ, continere veritá-

Bannes & Lopez de Texeda Lorca et Angelus Maria mã. riq. ord. Gener.

Vide Rodriq. in coll. pri. Bulla 3. Gregor. XIV.

Dian. p. 3. tr. 2. res. 41

Peregr. in comp. priu. sui Ord. in introd.

tem infallibilem, vt eas non possit quis absque errore impugnare; quod certè valdè ridiculum esset.

11 Respondetur itaque tertiò directè ad instantiam. In Societate IESV, per eam Bullam Gregorianam, nullam argui maiorem rationem adstruendi validitatem, & firmitatem eius Cõstitutionum, quã, quæ reperitur in alijs Confirmationibus Constitutionum aliorum Ordinum (neque enim in hoc, potiore iure donata est Societas, quam reliqui Ordines) hoc est, quod fuerit approbata tota collectio eius Constitutionum, non autem singulæ seorsim sumptę; Siquidem eã verba non habent specialem modum loquendi à ceteris diuersum, & ly *qualiacunque* vnde fortè id sibi potiùs vendicandi sumeret argumentum, non est terminus discretiuus, sed complexiuus: quatenus complectitur omnes Constitutiones in vnũ congestas, secùs autem singulas seorsim sumptas. Vnde est dispar ratio de votis biennij, quæ emittunt Scholares Societatis, qui per eorum emissionem, declarantur, verè constitui Religiosi, nam de ea re fit specialis, & indiuidua mentio, ac prouisio. Vt proinde Pontifex in eorum gratiam volens id definire, non satis esse duxerit, sub generali confirmatione comprehen-

prehendere, sed adhuc opus esse, vt speciali cautione, atque Oraculo firmaretur.

12 Quod autem ex generali confirmatione Constitionum, ac Decretorum alicuius Religionis in vniuersum, non arguatur confirmatio singulorum seorsim, & quod veritas infallibilis, quæ ijs additur, per illam confirmationem, atque Apostolicæ firmitatis robur adiectum, non reperiatur in singuli seorsim sumptis, patet manifestissimo exemplo. Nam quid sanctius Ecclesia Catholica? & quid verius, quàm, quod ipsa nequeat errare in fide, semper futura sit inconcussa, & nūquam sit ad quoscunque sathanę ictus casura: Infallibili certè Aeternæ Sapientiæ Oraculo id definitū est *Matth.6.* alloquente Domino Petrum Principem Apostolorum. *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et nihilominus, si fideles ipsos, qui Dei Ecclesiā constituūt, velimus singillatim, et seorsim à tota collectione fidelium considerare, quis non videbit, hāc Christi Domini infallibilem veritatem, in ipsis haudquaquam verificari, cum multi vel ab incunabulis ipsis Ecclesiæ extiterint, (& vtinàm in dies nō extent) Atheis ipsis scelestiores, multi fidē

abie-

abiecerint, & in Infidelitatis, atque Hæreseos barathrum vltrò sese præcipitarint? Vt iàm pateat hanc Ecclesię firmitatem à Christo Domino definitam, de totâ collectione fidelium in vniuersum; non autem de singulis seorsim intelligendam esse, atq. à Christo hoc solū pacto caueri

Vide Belarm. to. 2. lib. 3. c. 13 Beca. in comp. Coutrou. lib. 1. c. 3. concl. 4. et in hac re pasim Ctrouersistas.

43 Item, quamuis de fide sit, ac tot Conciliorum, ac Summ. Pontific. Docretis definitum, Statum Religiosorum esse perfectiorem, ac magis conducere ad perfectionem asequendam, quam statū sęcularium; hosque esse illis simpliciter inferiores: non tamen de fide est, vnum, aut alterum Religiosum esse perfectiorē homine sæculari, & ex eo statu non posse aliquem sumere occasionem maioris ruinæ, & dānationis, qui, si in seculo permansisset, Dei mandata faciliùs custodisset, ac profectionis fortasse apicem attigisset: cum id sæpissimè euenire, in dies singulos non sine lachrymis videamus. Et alia sexcenta id genus exempla posset adduci. Non ergo ex eo præcisè quod aliquid generaliter Apostolica auctoritate firmatum sit, colligi potest, omnia & singula eius membra eamdem omnino firmitatem, & certitudinem participare, ut non posit, ex ijs quidquam absonum reperiri.

Vide pl. de bono status Religiosi Belarm. in gemit. Columbæ. Grauina in Voce Turturis Lezana in refor. Regul.

14 Pro

14 Quod autem subditur de Excommunicatione latæ sententię, necnon alijs pęnis fulminatis contrà impugnantes Institutum, & Constitutiones Societatis, nõ officit. Nam ex hoc non arguitur maior firmitas extensiuá eorum, quæ statuuntur, & approbantur in citata bulla, sed tantum id fit ad compescendos eos, qui Societatis Institutum, eius Constitutiones in vniuersum, necnon etiã Constitutionem Pontificiã approbãte, aut huius quemuis articulum temerè impugnare non reformidant: asserentes, aut hanc perperam quidquam statuisse, aut illas in vniuersum esse inutiles, atque ad Regularem perfectionem minimè conducentes. Quod quidem maximè temeritatis esset, & error in fide. Sicut ergo per hoc, quod Pontifex ea Constitutione approbet Institutum Societatis, eiusq. Constitutiones in vniuersum, non arguitur in singulis Constitutionibus infallibilis bonitas, ac prefectio, (vt hucusque probabatum est, ac tenent DD. supracitati) ità neque huiusmodi pœnæ, quæ infliguntur oppugnantibus Institutum Societatis, eiusque Constitutiones, afficiunt eos, qui vnám, aut alteram Constitutionem, (maximè, si oppugnatione sint dignæ) vocãt in cõtrouersiam, sed eos tantum, qui om-

nes

nes collectiuè sumptas opugnant, quod solum Pontificio Oraculo derogat, & eius auctoritati. Siquidem accessorium sequitur naturam Principalis, & vbi culpa non est, nec pœna censetur habere locum.

15 Addo, quod etiamsi ea generali Confirmatione approbarentur in specie singulæ Constitutiones seorsim sumptę: adhuc tamē, ex ea non potest argui confirmatum hoc speciale Votum, ac per consequens, quod maneat probata eius validitas. Nam, vt benè aduertit Pasqualig. *decis. citata*, Pontifex in ea Bulla approbat Constitutiones Societatis, et insuper specialia Vota ipsius, quæ singillatim recenset, & confirmat, vt proinde de his specialem videatur facere cautionem: Et tamen, inter huiusmodi specialia Vota, quæ Papa recenset, hoc vnum, *audiendi consilia Generalis, &c.* non reperitur: de quo certè, vtpote speciali nota digno, eadē ratio exprimendi, erat, & fortè maior, cū reuera maiorem dubietatem inuolueret, quàm reliqui omnes, vt consideranti patet. Vel ergo cū Pontifici fuit exposita petitio de Confirmatione præmissorum, in libello supplici, aderat huiusmodi Votum, dè quo agimus, vel non? si non aderat, qua de re fuit hoc vnum silentio ob-

vo-

uolutum, & non cum reliquis explicatũ? uel quomodò non reliqua Vota poterãt in generali Confirmatione comprehendi, absq. eo quod de ijs fieri deberet specialis, & indiuidua mentio, sicut absque necessitate specificæ mentionis comprehendi poterat istud? At si Pontifici fuit expressè specificatum, cur ipse in citata Constitutione reliqua recensens, & approbãs, hoc solum prętermisit, & tacuit? Certè alia mihi ratio non elucet, nisi quia approbatione dignum non æstimauit, in clusio enim unius est exclusio alterius, & ut ait Bart. cum Dino in *l. legati inutiliter ff. de legatis, & fide tom. 2.* Ripa *in l. qui Romæ §. duo fratri, ff. de verbor. oblig.* Castr. *ibidem*, Surd. *decis. 69. n. 5.* Escobar. *In Ratiociniјs, c. 33. nu. 4.* Crauetta *consil. 320.* Confirmatio aliquorum Statutorum est reprobatio aliorum examinatorum. Ergo si Papa examinauit singula Vota Societatis, & omnia approbauit, & cofirmauit, præter istud (quod quidem magnam habebat examinis, ac discussionis indigentiam, vt consideranti patet) signum est, quod nullum existimauerit, ac proinde ut tale reiecerit, ac reprobauerit. Verum.

Respondet Pellizzar. Votum istud omissum forte fuisse in allegata Bulla, siuè quia hęc petita fuerit ad quietem, & pa-

cem

cem Societatis contrà perturbatores illius, ac tota deberet deseruire pro foro externo, ad quem finem impartinens erat mentio huius Voti, quod nullum ius confert Societati, sed totā suam u m habet pro foro interno, siue quia Pontifex intendit confirmare ea, quæ à pluribus circà Societatis Institutum uertebantur in dubium, atque impugnabantur, cuiusmodi tunc temporis non erat tale uotū quod à nemine impugnabatur, ac proinde nil mirum esse, si eius solius mentio prætermissa fuerit.

16 Contrà, quia hoc est diuinari, atque in rebus, quæ sibi arrident interpretari mentem Pontificis ad suum libitum absque ullo prorsus fundamento. Deinde quæ tanta perturbatio suboriri poterat in Societate ex Votis expresse recensitis, & non ex reliquis Constitutionibus, & non ex isto: vt proinde de ijs expressa mentio facienda esset, cuius non erat opus in hoc vno Voto, ac reliquis Constitutionibus? aut quæ tanta dubietas inerat in iis votis præcisè, & nō in Voto audiendi consilia Generalis, si Vouens Episcopus eligatur, & non in Cōstitutione deferendi occulta Prælato absque preuia correctione, vt ad tollendam omnem impugnationis ansam, quæ ab aduersariis arripi posset, ne-

necesse fuerit, de illis specialis mētio fieri, & non de istis, ut sic omnis dubietas proscinderetur? Certè quod ex Societatis Constitutionib. ac Votis, verti ex tunc poterat in dubium, & vsque modò potest, aliud non elucet, quam hæc duo: Votum audiendi Consilia, & Constitutio deferendi occulta. Nec scio à quoquam scriptore, præsertim Catholico, hucusque reuocatas in dubium reliquas Societatis Constitutiones, ac præsertim recensita Vota, ut de i js specialis Confirmatio fieri opus esset. Quis enim mentis compos reuocauit vmquam, aut reuocabit in dubium Votum specialis Obedientię Papæ in ordine ad Missiones: De non acceptādis dignitatibus extra Societatem, nisi ex præcepto Pontificis: De non ambiendo dignitates intra Religionem: De denunciandis ambiētibus: De non permitendo relaxationem paupertatis in Societate, quæ sole clarius patent esse Optima, ac nullam, nec imaginariam continere circumstantiam uitiātem: Certè nemo: quin & ex ipsis nonnulla, iam in plerisque Religiosorum Ordinem cætibus, magno cum plausu suscepta sunt, & nō sine magna Orbis ędificatione adhuc vigent, & a nemine impugnantur. Sol si ergò quod ex tunc dubium patiebatur, hæc duplex Con-

Constitutio erat, & de deferendis criminib. Prælato absque præuia correctione, & de audiendis consilijs Generalis, quādo eligerētur in Presides, quæ, aut iā controuertebatur, aut controuerti poterat: Vnde meliùs fuisset de his duobus petere specialem Cōfirmationem, maximè verò de Constitutione deferendi occulta, quæ tot, ac tantos habuit oppugnatores (quib. tamē ego haud quaquā adhæreo,) quàm potiùs de his votis, quę, àut nullam aut valdè leuem involuebant dubietatē: sic quippē, & præsentibus, & futuris malis prouisum fuisset. Quod autem tunc non fuerit dubium de hoc Voto, nō tollit, quin Prudētia sàltem dictasset, idē, aut ēt maius dubiū fore in posterū emersurum illi: ac proinde, ut occurreretur cū cæteris enumerandum. Dùm ergo non fuit enumeratum, signum est manifestū, quod vel Pontifex, (si illi fuit exibitum) noluerit approbare, vel, si non fuit illi exibitum, id non sine causa sit factum; ac propterea non remanserit confirmatum.

18 Postremò nec potest subsistere quod dicitur, ideò in allegata Bulla non fuisse factam mētionem de hoc Voto, quia ea deseruire debebat pro foro tātum externo, ad quem finē impertinēs erat mentio

hu-

huius Voti, quod est tantùm pro foro interno, & nullum confert ius Societati in Episcopum; quæ proindè non potest illũ cogere ad eius voti obseruantiam: Nam præterquam quod istud est manifestè falsum, & satis reiectum fuit *in prima Discuss.* Cùm dicitur, hanc Bullam petitam fuisse ad quietem, & pacem Societatis, & pro foro externo; vel sensus est, quod eá deseruire debebat ad compescendos perturbatores Societatis, eosque qui, aut iam impugnabant, aut impugnaturi erant hęc Vota; vel ad firmandam voluntatem Vouentium ad obseruantiam illorum, & ad tollẽdam ab ijs omnem dubietatem, quæ potuisset obrepere (magnũ quippè arcanũest hoc deseruire pro foro externo, & nescio qui rectiùs explicetur) Si primũ: non est maior ratio, cur perturbatores Societatis, ex alijs Votis sumere debuissent occasionem obmurmurandi, eamq. inquietandi, & non potiùs ex isto Voto, quod suá illa alligatione, seu coniunctione Episcopi ad Societatem, aliorum inuidiam illi parare poterat, vt consideranti patet: Siquidem omnia ea Vota sunt eiusdem rationis cum isto: fiunt coram Deo, obstringunt tantùm in foro conscientię, ac Societati, vel nullum, vel illud idẽ ius tribuunt, ꝗ: & istud. Ergo sicut poterant

perturbatores Societátis oppugnare cæ-
tera Vota, ita & potiori iure poterant
istud. Si Secundum: nullatenùs potest di-
ci, eam Confirmationem deseruire pro
foro externo: tum quia hæc firmatio vo-
luntatis fit per actum internum intelle-
ctus dictantis, ac suadentis bonitatem a-
ctus, cogēte etiam interiùs Virtute Reli-
gionis ad eius obseruantiam: Tum quia
Confirmatio generális sufficere poterat
ad omnem dubietatem tùm exteriùs, tū
interiùs suborientem, tollendam: sicuti
eadem per aduersarios sufficiens erat ad
tollendum omne dubium, quód circà re-
liquas Societátis Constitutiones, átq. in
specie circà Votum istud silentio obuo-
lutum occurrere potuisset. Ergo respon-
sio ista, quod ideò hoc vnum votum fuit
prætermissum, eo quod ipsa fuerit petita
ád quietem Societátis, & ád hoc vt tota
deseruiret pro foro externo, ád quem fi-
nem impertinens erat mentio huius Vo-
ti: est arcanū valdè obscurū simile respō-
sis Delphicis; ut neq. Oedipus id explicá-
re sit potis. Imò veriùs merum effugium
non euacuans difficultatem nec solidi
quidquam euincens, sed studiosè confi-
ctum, vt in eius sacra obscuritate lecto-
res hæreant, nec vlteriùs perscrutentur,
ad quem finem hoc tantùm Votum in

præ-

præcitatâ Bulla fuerit prætermissum. Ex his.

16 Colligitur primò, quod stāte, quod hoc Votum non recenseatur à Pontifice vnà cum reliquis in allegata Bullà, nō potest dici illud comprehendi sub generali Confirmatione omnium Constitutionum, in quibus extabat prescriptū de huiusmodi Voto; cum Pontifex recensens omnia, & singula Vota speciàtim, censeatur de his specialem facere prouisionem: aliàs impertinēs fuisset tàm exactà mentio singulorum, quando poterāt sub generali confirmatione comprehēdi. Dum ergò de Votis specialiter dispo-nit, & inter eà non connumerat hoc vnum, quod magnam habebat specialis mētionis, atque exàminis indigentiàm; signum est, quod noluit approbatum, Siquidem, ut alibi adnotaui ex multis Iuristis, Confirmatio àliquorum statutorum est reprobatio aliorum. Vnde, cū de hoc fiat specialis prouisio, etsi reperiatur inter ea, quæ per confirmàtionem generalē approba a fuere: non censetur sub eà comprehensum, vt in simili docent Ruin. *consilio* 131. *numero* 4. *libro* 2. Cornel. *consilio* 90. *numero* 6. *&* 7. *libro* 2. Rotà *coram Seraphino*, *decisione* 1486. *numero duodecimo*, *&* *alij*.

30 Colligitur secundò (& hoc est valdè aduertendum) quod, licet in Bullà Gregorianà dicantur approbari Constitutiones Societatis, & Decreta qualiacumque: Quinimò dato etiam, & non concesso, quod hæc generalis confirmatio tanti roboris sit, ut omnes Constitutiones singillatim afficiat, atque authenticet, adhuc tamen, hæc vna Constitutio agens de Voto (secùs autem reliquæ) nõ intelligitur sub generali confirmatione compræhensa, & approbatá, atque adeò potest turò à DD. in controuersiam verti, & absque scrupulo impugnari; idque etiamsi sub pœna Excommunicationis, & alijs Papæ reseruatis prohibeatur impugnatio Cõstitutionũ Societatis, Bullæ Pontificiæ approbantis, necnon cuiussuis eius articuli prædictas Constitutiones concernentis. Ratio est, quiá adhuc hæc vna Constitutio agens de Voto, supponitur sufficienter exclusa per specialẽ cautionem in indiuiduo factã de Votis Societatis, qua omniá singillatim recensentur, et approbantur, præter istud: quod signum est, quod fuerit exclusum, & reprobatum; vt cum Dino, Bart. Castrensi, & Alex. *supra num.* 14. adnotaui. Vnde salua remanẽte reurrentia, quę Bullæ Pontificię debetur, iám nõ impugnaretur ullus

eius

eius articulus, non vlla Conſtitutio Societatis remanens approbata, ſed ea, cui iam per ſpecialem improbationem huius Voti in ea preſcriptiſit derogatum. Neque enim hæc duo poſſunt conſiſtere; Votum improbatum,& Conſtitutio Votum præſcribens, probata.

21 Et hoc procedit etiamſi eædem Conſtitutiones Societatis eodem modo ab aliis Summis Pontificibus fuerint denuò confirmatæ, aut in poſterum ſub quauis ampliſſima forma generaliter approbarētur: vt hęc vnà Cõſtitutio agens de voto non cenſeatur reuiuiſcere, ac robur ſuum acquirere, niſi in Bullà Confirmationis, de ea fiat ſpecialis mentio: & approbatio. Nam mens Pontificis generaliter approbantis non eſt, approbare, quæ iàm à prædeceſſoribus improbatà fuere, ſed eà tantũ, quæ, aut ſunt de nouo adaucta, aut alias infirmata: eo prorſus pacto quo Vrbanus VIII. Decreto ſuo ſanciuit, per Generales Confirmationes priuilegiorum, quas Regulares obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, nequaquam reuiuiſcere, aut reuixiſse priuilegia aliàs abrogata. quoad abſoluendum à caſibus reſeruatis, niſi de ijs ſpecialis,& indiuidua mentiò fiat, & nos alibi de Viuæ vocis Oraculis annullatis,

Vide Bartol. in leg. ſi quis ff. ad Trebel. vbi dicit q confirmatio generalis non porrigitur ad id quod alias caſſatũ eſt. text. in l. doli clauſ. ff. de verb. oblig. Rota corã Mehod. deciſio. 82. alias 233.

per generales confirmationes priuilegiorum non reuiuiscentibus contra *Peyrinum* docuimus.

22 Addo, quod si admittenda est Doctrina Pellizzarij, quam tradit in simili de consuetudine Carthusianorum abstinendi à carnibus, dici potest quod etiamsi dicta Constitutio Societatis cōpræhendatur sub generali cōfirmatione, quin & in specie, prout sonat, fuerit approbata: cum Pōtifex agens de Votis, de hoc nihil omninò determinet idcircò liberum mansit DD. illud controuertendi; & impugnandi. Ergo Pellizzar. *sect.* 5. *citata num.* 314. differens, & rationem reddens, quomodo consuetudo illa Carthusianorum, etsi à Pontifice in specie approbata possit nihilominùs á DD. absque temeritatis nota disputari, atque etiam impugnari, dicit (& satis quidem ingeniosè) Quia in dicta Cōstitutione Carthusianorum quæ à Pontifice fuit approbata non fit mentio de periculo Vitę, (licet reuerà consuetudo illud includat) ideò liberum mēsisse DD. eam diuersimodè inter se, imò, & contrariè interpretari: quod non licitum esset, si in dicta Constitutione periculum vitę fuisset expressum. Hęc Pellizzar. *loco citat.* Sed si hæc Doctrina quid valet, valeat, & contra eius Doctorē, sicque

bona

bona ipsius venia, ipso Duce, ac suis medijs contra ipsum argumentari, sit mihi licitum. Quia in dicta Constitutione Societatis non fit mentio specifica de Voto, sed tantùm obuoluitur sub terminis generalibus *Promittat, etc.* quæ vox, vt patet, nō semper inducit obligationem sub mortali. Item cum nō eluceat ex ijs verbis pręcisè formalis addictio Vouentis Prælato Regulari, quæ fit in manu eius pro statu Prelatię, quatenus promittit, & per Votum se obligat Deo, & Pręlato ad illum auscultandum pro tempore, quo erit exemptus ab eius iurisdictione; ac proinde tribuit illi ius ad ea consilia danda, vt toties demonstratum fuit: Cum, inquā, ex ijs verbis præcisè Cōstitutionum hoc non appareat, sed tantùm quædam obligatio confusa quę soli Deo fiat, & non sit contraria iuri communi, vt eo ipso elucet in Voto, ac Circumstantiis, quibuscum fit: ideò liberum mansit DD. Votum illud impugnare, non obstante, quod dependeat ab illa constitutione á Pontifice approbata: cum supponatur Pōtifex nō perpendisse substantiam Voti sub iis verbis generalibus latitantis, sed solùm approbasse eam generalem promissionem, quam verba sonabāt, in qua nihil erat absonum inuenire. Aliàs fecisset aliquam

mentionem Iuris communis, cui votum derogat, aut derogare videtur. Maximè, cum ex alio capite, non leuis coniectura suppetat, ipsum vna cum reliquis votis, & istud optimè considerasse, & euicta contrarietate, quam Sacris Canonibus præseferebat, reiecisse, atq. approbare nullatenùs uoluisse. Quare quauis confirmatione posita, & quauis inflictione penarum lata contra impugnantes, tam Constitutiones Societatis, quam quemuis articulũ Bulle Gregoriane, restat nihilominus semper liberum unicuique, Votum istud controuertendi, et impugnandi, cum nõ sit confirmatum in specie cum reliquis in specie confirmatis, et non eluceat clarè in Constitutionibus Societatis à Pontifice generaliter confirmatis.

DISCVS-

DISCVSSIO III.

An, si Votum istud haberet suam validitatem, obligaret Religiosos Episcopos, seù ad alium Ordinem translatos, ad sui Obseruantiam?

SVMMARIVM.

1 *In quo differat Votum intrinsecè inualidum, ab extrinsece inualido, seu potiùs irritato, aut relaxato.*

2 *Quæstio procedit solum de extrinseca inualidatione, qua Votum alioqui bonum irritetur, aut dispensetur.*

3 *Etiamsi foret intrinsecè Validum, adhuc tamen non obligaret.*

4 *Huiusmodi responsio à nonnemine immeritò irridetur.*

5 *Eius*

5 *Eius fastuosa argumentatio expenditur, ac diluitur.*

6 *Circumstantia temporis si adderetur, inepta foret ac superflua.*

7 *Firmis rationibus, ac DD. auctoritate fulcitur nostra responsio.*

8 *Cum Regula cesset, cessare debet, & Votum, quod fundatur in Regula.*

9 *Ea Vota sunt Vota Regulæ, quæ à Regula præscribuntur.*

10 *Quænam Vota ex D. Thoma permaneant in Episcopo Religioso.*

11 *Quid importet in Religioso Episcopo delatio habitus regularis?*

12 *In Religioso translato ad alium Ordinem cessant omnia Vota prius emissa, atque in nouã Professionem commutantur.*

13 *Cessant, & Vota substantialia, quatenus à priori regula promanabant.*

14 *Si huiusmodi Votum permaneret in Religioso translato præiudicaret iurib. nouæ Religionis susceptæ.*

15 *Quomodò permaneat adhuc in Religioso translato Votum non ambiendi in priore Ordine emissum?*

16 *Votum audiendi Consilia Generalis etc. quod fit in Societate secũdũ aliquos ex speciali ratione perdurat in Episcopis assumptis.*

17 *At hæc ratio cessat in Voto, quod nos admittimus.*

18 *Sed adhuc hæc specialis ratio, quare debeat huiusmodi Votum in Episcopis assumptis durare, expenditur, & improbatur.*

19 *Quinimò, nec frustratorium euaderet Votũ, si adhuc emitteretur pro solo tempore Exemptionis.*

20 *An eius obligatio vrgere possit ex peculiari intentione Vouentis?*

21 *Sed adhuc non vrget.*

22 *Vouens huiusmodi Votum censetur se ad minus obligare, et saluis terminis communibus.*

23 *Eius specialis intentio se obligandi ad tempus exemptionis, vel reuerà non adest, vel si adest corrigitur ab intentione generali, ac validiore, se obligandi ex intentione religionis, & saluis terminis communibus.*

24 *Religio per Votorum speciali ũ præscriptionem, verè onus imponit.*

1 QVæstio procedit ex hypothesi, quod Votum hoc non sit intrinsecè irritum, & inualidũ, ratione materiæ circa quam fertur: quatenus obuiat exemptioni huiusmodi personis à Sacris Canonibus cõcessæ: vt probauimus *in prima Discussione.* Sed quod haberet omnia requisita intrin-

ſeca ad ſui validitatem: An ſcilicet aliunde infirmetur, itaut non ferat ſecum obligationem ad ſui obſeruantiam. Vbi aduertendum, aliud eſſe, Votum ex ſui natura non obligare ad ſui adimpletionem, quia eſt de re intrinſecè mala: aliud non obligare, quia remanens adhuc in ſua intrinſeca bonitate, extrinſecùs fit inualidum, & ceſſat, quia per relaxationem tollitur eius obligatio. Primum eſt tale, vt vouens, non modò non teneatur ad eius obſeruantiam: ſed potiùs teneatur ad oppoſitum: cùm materia ipſa Voti ſit mala, & per conſequens non poſſit abſque peccato poni ad extra; aut ſaltem ſit de re inutili, quam ponere ad extra, aut nullum bonum eſt, aut certè actio inutilis, et fruſtranea, & ſic vitioſa. Secundum uerò eius generis eſt, ut, etſi non inducat obligationem, ut impleatur, ratione alicuius circumſtantiæ extrinſecùs aduentantis: fertur tamen circa materiam adeò bonam; vt illam nihilominus ponere ad extra, non modo non ſit quid diſconueniẽs rationi: quin potiùs ualdè bonum, utile, ac meritorium: Sic Votum u.g. puniendi omnes malefactores à perſona priuata emiſſum, aut pede ſolum tundendi, aut etiam fornicandi, eſt ex ſui intrinſeca ratione irritum, & inualidum, quia fertur

in

in materiam, aut intrinsecè malam, aut ab aliqua circumstantia mala uitiatam, aut saltem inutilem: ideoque non solum non obligat ad sui obseruantiam: sed &, si impleri contigerit, euincit in implente actionem peccaminosam, aut saltem inutilem, & frustraneam: Econtrà uerò Votum ingrediendi Religionem, ieiunandi, elargiēdi eleemosinam, & alia huiusmodi, secundùm se considerata sunt ualida, eò quia, sumpta in suo esse formali, & absque ullo respectu ad aliud, habent intrinsecam rationem bonitatis, quatenus supponunt omnia requisita, & feruntur circa materiam bonam, & opposi: à meliorem: quæ nihilominùs, si in aliquo fuerint relaxata, iàm cessant, & tollitur omnis eorum obligatio: itá tamen, ut si uouens uoluerit ea nihilominùs implere, id ei liberum maneat, & semper melius, eò quia uota illa erant intrinsecè bona, ac ualida: hoc est habebant suam intrinsecā ualiditatem, licet extrinsecùs factum sit, quod sint inualida, seu uerius non ferant secum obligationem, ut impleantur. Ita communiter Doctores nemine discrepāte, ut aduertit Bonac. *in secundum præcept. Decal. q. 2. puncto* 1. Hoc posito: quod quærimus est. An uotum, de quo hucusque loquuti sumus, posito quod non habeat intrin-

intrinsecam rationem, quâ fiat inutile, et ex intrinseco sit bonum, & quantum est in se, inductiuum obligationis; extrinsecus habeat, ut non obliget ad sui impletionẽ: licet nihilominùs æquè benè possit, imò meliùs ac perfectiùs adimpleri: idque per generalem relaxationem omnium obligationum, quæ uouenti unà cum mutatione status supponatur implicitè aduenire. Et quęstio procedit solùm de Voto, quod ex præscripto Regulę, emitteret Regularis, obtemperandi, uel exequendi consilia suorum Prælatorum, etiam postquàm fuerit exemptus ab eorum iurisdictione, non autem de eo quod fieret ex puro beneplacito uouentis. Sicut etiam supponit, nullam fuisse factam explicitam relaxationem huius specialis Voti: (aliàs essemus extrà casum, cum nulli dubium sit, illud etsi alioqui ualidũ, cessare eoipso quod relaxetur) sed tota difficultas in eo sita est: An ex relaxatione prioris Regulę, quæ fit per assumptionem ad Episcopatum, aut per transitum ad alium Ordinem, sequatur ex natura rei relaxatio huius specialis Voti, quod præscribitur à Regula, & eã videtur consequi, ad quod.

3 Respondeo affirmatiuè: Videlicet, etiamsi Votum supradictum, aliàs ab intrin-

trinseco haberet suam validitatē, adhuc tamen non obligare Religiosos assumptos ad Episcopatum, seu translatos ad alium Ordinem, ad sui obseruantiam, sed eoipso cessare, sicut cessat tota Regula, quę votum istud præscribit; ita in terminis Pasqualigus *de Voto Societatis, ergà Episcopos assumptos. Decis.* 280. quod idem dicere debet de Regularibus ad alium Ordinem transeuntibus, cum eadem prorsus ratio, & fortè maior militet & pro ipsis. Diana *de eodem Voto*, (quod alias supponit Validum) ergà Sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardinales assumptos ex Societate *par.* 5. *tract.* 2. *resol.* 65. differens de omnibus Votis peculiaribus Religionum, et in specie, de Voto Societatis, quod ponit pro exemplo, & in finem concludit omnia eo ipso cessare: licet posteà *par.* 9. *tractat.* 8. *resol.* 70. in gratiā PP. Societ. contēdat suadere se quoad Votum signatum Societ. in eam mentem minimè cecidisse, quod tamen lectoris esto iudicium. Præterea in id consentire debent omnes ii DD. (si consequenter loqui velint) qui dicunt, per nouam Professionem legitimè factam à Regulari in alio Ordine siue strictiore, siue laxiore cessare eoipso omnia Vota ab eo prius emissa, siue sponte suá, siue ex præscripto prioris regulæ, & com-

& commutari in nouam Professionem, vt Sanchez *lib.5.in Decal.cap.5.num.*40. & cum eo Pellizzarius *tom.1.tract.3. cap.4. num.*22.& clariùs *tract.4.cap.1 sect.1. quæsit.*27.excipiens solummodò Votum non ambiendi dignitates,ex speciali Decreto Vrbani VIII.Necnon ii omnes,qui tenẽt omnia ea Vota cessare in Episcopis ex Ordine assumptis, aut aliàs à iugo disciplinę regularis exemptis, vt sunt Iidem Pellizar.& Sanchez. Item Lezzana *par.2.quæst.regul.cap.*17. *nu.*10. Lopez de Texeda *lib.2.controuers.Moral controu.1.nu.*10. Castro Palao *part.3.tract.*16. *disp.4.de Voto Obedientiæ punct.4.n.*5. (licet quoad Votum Societatis erga Episcopos, ex speciali ratione appositum contendat,vt etiam Sanchez,& Pellizzar.de qua *infra*) Et à fortiori qui dicunt,in Episcopis cessare etiam Vota substantialia, quatenus proueniunt ex regula vt Angles in 4.*par.2.quæstion.de Voto artic.2.post differen.*13.*dubio* 5.Hurtad.2.2.*Volum.2.de spe & Charit. disput.*160.*sect.*5.§.65.Ouand. *distinctio.*38. *proposit.*27.Medina *de Sacra Hominis continentia lib.*5. *cap.*26. *&* 27. Villalob. cum Bobadilla *in sum.tom.*2. *tract.*45. *diffic.*40. *num.*6.& alii,qui id tenent de Voto Paupertatis,quos refert,& sequitur Pasqual. *decis.*267.*num.*3.

4 At

4 At enim his non obstantibus hanc responsionem, eiusque titulum irridet in Pasqualigo Neothericus quidam scriptor, quod, aut idem supponat, quod petit, aut miram inuoluat contrarietatem. Remque tanto fastu, tātā verborum ostētatione, tanto cum Aduersarij contemptu, ac mentis securitate prosequitur, vt si lectores omnes, aut dormiētes fore, aut Sciolos iudicasset, vel etiam infallibilem quandam Fidei veritatem ijs chartis tradere credidisset, id certè securiùs, arrogantius, ac maiori cum animi tranquillitate nō præstitisset. Sed agesis eius ipsissimá verba in medium producantur, vt vel ex eis mirum hominis, sibi nimiùm blādientis ingenium patefiat. Hæc enim habet *in suo Achate ad Constantinum Caietanum pag.* 96. De Pasqualigi 280. Decisionis Epigraphe. *Cæterum quanta sit Auctoris subtilitas ex Epigraphe decis.* 280. *intelligemus: ea enim admirabilis est & in hæc verba cōcipitur. AN SI VOTVM HVIVSMODI HABERET SVAM VALIDITATEM OBLIGARET EPISCOPOS ASSVMPTOS EX EADEM SOCIETATE. Ita nos Deus amet, quid sic querere in mentem venit? Rogo Validitatem habere aliud ne cuiquam est quam obligare? mihi quidē de Voto loquenti omninò idem videtur: Quid enim valet validitatem habere, quam validum*

plificandi genere multos annos versatus, minima quæque mirũ in modum effert, vt absurdissima quoque dicta, velut fidei articulos, & ecõtra compertissimam veritatem, vt illustre figmẽtum autumet, & ostentet. O si cuncta percurreres? quoties res, aut omninò absonas, aut etiã pro veris compertas: ipse nihilominùs ità verbis onustat, fallacijs circumuestit, vt iam tibi aliena pareãt, & inuersa; atque in id quod ipse cõtendit, velis, nolis traharis. Fateor, cùm primùm hęc vidi, anceps cõstiti: tùm seposita aliquantulum lectione, mecum ipse quæritare cæpi, nũ somniarem, an potius scriptor iste sesquipedalibus illis verbis, surdo fabulam canere credidisset; cum ex vno capite Veritas suum sibi locum pararet; ex alio verborum collisio, ac tanta scribentis securitas, nil nisi concludentissimum præseferret. Vt proinde in eius generis tabulas offendisse me diceres, quæ primo cõspectu, maria, & montes referunt; ac si propriùs accedas, ac rei statum scruteris, non nisi congestam, e pictis coloribus seriem conspicaris. Quid enim vsitatiùs est in Scholis, quam quęstiones ex hypothesi pertractare; cùmque aliquid ex vna parte repugnat, vt eius quidditas innotescat, an id ex alio capite implicet,

rere, ác velitare? Cur igitur auctor hic noster tám grandi supercil o demirctur, & carpit in vno, quod omnibus omnium facultatum Professorib. vsurpatissimum est? quo iure dicit, titulum decisionis mirám inuoluere pugnam, & implicátiam, quando ualiditas, quæ in eo, ex hypothesi tribuitur Voto, supponitur intrinseca; vt propterea dicátur. *Si haberet suam validitatem*, & quæstio procedit tantum de extrinseca inualidátione, seù, vt clárius loquár, de cessatione obligátionis? Quod idem est, ác quærere, An votum hoc, cùm ex sui intrinsecá ratione sit inualidum, & nullám inducat obligátionem, vt ponatur ád extrà, eo quia est de re illicitá, & non bona; si fortè ex sui naturá esset intrinsecè validum, & ferretur circa materiám bonám, adhuc tamen per aliam rationem extrinsecùs aduentantem (puta eius relaxátionem) habeat vt nō obliget: áliás in sua bonitate perseuerans, vt possit ád uouentis beneplácitum licitè, ác laudabiliter poni ád extrà, nullá tamen obligatione cogente? Quod, si ita est: cur inquám, tám confidenter dicit, Titulum miram inuoluere contrárietatem, cùm áliàs notum sit omnibus, Contradictoria, ut uerè taliá sint debere uerificari de eodem, secūdùm idem respectu eiusdem?

Qui

Qui tàm subitò, ac si hostem prostrasset, ad aliàm rursùs insultandi uiā progreditur, ac scribentem oscitántiæ arguit, & crassę supinitátis, quòd notam temporis prætermiserit, subdens: *saltem aliquam tēporis notam addidisses, leuior esset indiligentia, nec ideo absoluerem*, quę profectò temporis notá uel lippientibus oculis (non támen ex liuore caligantibus) statim occurrit in ijs uerbis. *An si huiusmodi Votum, &c. obligaret EPISCOPOS ASSVMPTOS*, ex quibus iam patet titulum non de statu Religionis, sed de ipso tēpore Episcopátus procedere, dum Iesuitæ, quándiu in Religione sunt, EPISCOPI nec dicantur, nec dici possint?

6 Addo, quod dū nō in circumstātia tēporis præcisè, sed in ipso statu Episcopáli prout in se sumpto quæstionis uis sita est, si noua temporis notá adijceretur, inepta proinde foret, ac superuacánea, ut consideranti patet. Ex quibus omnib. áudeo affirmare, aut is nō intelligit quæstionis uim, aut Orbi gestit illudere, suis nimirum fidens sophismis, & comptę dicacitati.

7 Sed pergit. *Nec titulo fœlicior reliqua est disputatio: quàm multa enim innoluit quæ sola disputantis lubentia focillantur?* Ac ne gratis Censor hic noster assumat, quod alte-

sistere non potest, quæque Religiosum faciunt, & certo vitæ addicunt instituto; quorum nihil habet huiusmodi Votum: Vnde non est, cur Votum Regulæ appelletur.

9 Contrà quià hoc esset negare primà principià, quę supponunt, eà esse Votà Regulæ, quæ à Regulà præscribuntur. Vnde gràtis potiùs assumitur, eà tantùm esse votà Regulæ, quæ Religiosum faciũt, Regulam veluti compàges constituunt, & sine quibus illa non potest subsistere. Quod, si verũ esset, sequeretur, solum trià Vota substantialia esse Vota Regulę, quià ipsa solà Religiosũ faciunt, Regulam veluti compàges constituunt, & sine quib. illà nequit consistere. Quod si dicàs Religiosum, & Regulam constitui formaliter per trià votà substantialià in suo esse substantiali: per reliquà verò vota, perfici in suo esse, ac poni in tali specie Religionis, vnà cum reliquis obseruantijs præscriptis à tali Regulà; idem dico ego de huiusmodi Voto, quod vnà cum alijs concurrat suo modo ad constituendam talem speciem Regulę, quę, sicut per alia vota intendit prouidere bono spirituali Vouentium, ac disciplinæ regulari tuendæ; ità & per huius voti præscriptionem, intendit prouidere suis filijs extrà

suum gremium positis, ac rectæ Ecclesiarum administrationi, ab ipsis obeundæ, deùm in Episcopos assumi contigerit. Deinde nolo hærere in nomine, An Votum hoc Societatis sit Votum Regulæ, sed sufficit mihi quod à Regula præscribatur, vt illud dicam cessare vnà cum regula, & alioquì eá ex communi hominum vsu dicuntur vota Regulę, quæ à Regula vnà cum cæteris substantialibus præscribuntur nuncupāda in eius professione: quod cum sit reperire, & in Voto Societatis, non video, quam rationabiliter negari possit, illud esse Votum regulę; maximè cum id supponant, vt certum reliqui scriptores Societatis, qui de hoc Voto ex ꝓfesso scripserunt: Suar. Sanch. Vasquez, Castro Palao, & Pellizzarius, qui illud vnà cum alijs absque illa discretionis nota appellant *Votum Societatis*, quod idē est, ac dicere *Votum quod fit ex præscripto Regulæ Societatis*: & Pellizzar. quidem clariùs id supponit *quæsito*. 17. dum quærit, quomodo Votum hoc perseuerare possit in Episcopis assūptis ex Societate, dū eoipso eximūtur ab omnibus votis ordinis, & specialem rationem reddit, de quá nos *infr.* aliàs liberum profitentibus esset hoc Votum emittere, & possent, atque ijs daretur, Regulam Societatis suscipere,

&

& hoc votum nullatenùs saltem exteriùs nuncupare. Dum ergo Votum hoc Societatis, & Votum, de quo nos agimus supponitur esse Votum Regulæ; Si illa secundum se totam extinguitur in Episcopo, vel Religioso translato, extinguitur & istud Votum, quod est illi annexũ, in ea fundatur, et ab illa dependet, nam vt bene aduertit Lezzana *capite 22. numero* 18 ex Suar. & Sanchez, huiusmodi vota accedunt ad regularem professionem, vnde cessante principali cessat & accessorium.

Dices ex D. Thoma 2.2. *quæst.* 181. *artic.* 8. & Caiet. *ibid.* Religiosum nõ ideò quod Episcopus fit, Religiosum esse desinere, sed remanere adhuc votis substantialibus illigatũ: ob eamque causam illum debere incedere vestitum habitu sui Ordinis, vt vel ex eo sui admoneatur officij: ergò adhuc remanet adstrictus huiusmodi Voto, quod cum statu Episcopali incompossibile non est.

10 Respõdetur imprimis, D. Thomam eo loco disputare tantum de Votis substantialibus, secùs autem de reliquis, quæ sunt specialia cuique Religioni: Quinimò cum de Votis substantialibus solum id adstruat, ac dicat ea in Episcopis perdurare, videtur hanc suam doctrinam ad

alias

alia vota, necnon ad alias Religionis obseruantias nolle extendere, sed potiùs de ijs negare: vt benè discurrenti patet. Deinde etsi D. Thomas, Caietanus, imò & multi alij dicant Vota substantialia in Episcopis permanere: non pauci tamen sunt, ijque non primæ famæ rudimenta captantes, qui id seriò inficiantur, fundati *in Cap. statutum*, vt nos *supra* uidimus. Vt proindè absurdum non foret, quoad hoc à Doctrina Angelici Doctoris recedere; à qua insuper nos non recedere arbitramur, dùm Votum hoc speciale alicuius Regulæ, dicimus in Episcopis assumptis cessare; imò & hanc fuisse S. Doctoris sententiam, ex eius sapientissimis interpretibus non ambigo. Quapropter, & illum pro nobis potiùs stare, ac Votum istud tacitus scriptis suis confodere, prudens quisque Lector, si volet, inspiciet.

11 Ad illud, quod dicitur, Episcopum debere incedere in habitu suę Religionis, vt vel ex eo sui moneatur officij, respondẽt DD. ex eo nil firmi colligi, sed tantùm id pręcipi, vt ex eo admoneatur, sibi perfectiùs coram Deo ambulandum, ac pastorali muneri incumbendum, quia Religiosus est, ac Deo validiùs obligatus: secus autem, quod teneatur ad vllã prio-

ris

ris regulæ obseruātiam, aut etiam speciale eiusdem Votum.

12 Probatur secundò responsio specialiter de Religioso ad aliū Ordinem trāslato: quia iste totaliter eximitur a iugo prioris Regulę non secus atq. Episcopus, ac per nouā professionem noui Ordinis nouū iugum inducit, nouāq. obligatione, in quam commutatur tota obligatio prioris regulæ: ergo eximitur & à Votis, quæ in priori regulā fundabantur, atque ab illa pendebant, & sic etiam ab isto, vt innuit etiam Pellizzarius, *loco citato*.

13 Confirmatur primò, quia, etsi maneat in eo obligatio Votorum, quæ vigebat in priore Ordine, adhuc tamen hæc obligatio non promanat ex ui prioris professionis, & antiquæ eorum nuncupationis, sed ex vi nouæ factę in secundo Ordine: ex quo fit, vt Vota substātialia prius emissā in se formaliter censeantur extincta, & in noua aliā noui Ordinis commutata, cum circā eorum obseruantiam non prior Regula, sed nouā consulendā sit: ergò potiori iure censetur extincta obligatio huius specialis Voti, & in nouam obligationem suscepti de nouo Ordinis commutata.

14 Confirmatur secundò, quia alias Religio-

ligiosus iste non totaliter submitteretur iurisdictioni, & omnimodæ directioni nouæ Religionis, ac Prælatorum eius, dum per istud Votum adhuc obligaretur ad obtemperandum, vel ad manendum sub directione prioris Ordinis, ac Prælatorum eius excipiendo eorum consilia, & ea necessariò, si meliora fuerint, exequendo ergo & . quod si in Religioso translato turpe est, & alienis iuribus præiudiciale, quis non videt, id potiori iure turpe esse in Episcopis? & si in Religioso translato cessare debet hoc votum, quomodo non in Episcopo, qui est immediatè Papæ subiectus, cessabit?

Obijcies. Votum speciale non ambiēdi, nec procurandi dignitates Ecclesiasticás, easque vltrò oblatas respuendi, nec acceptādi nisi ex precepto eius ad quem spectat; quod emittitur ex prescripto Regulę in aliquibus Ordinibus, non cessat in Regulari trāslato ad alium Ordinem, in quo Votum huiusmodi non prescribitur; vt expressè declarauit Vrbanus VIII. *in decreto hac de re* edito, & relāto *in Bullar. to.4. Constit. Vrbani VIII. in ordine* 140. ergò nō eo ipso quod Regularis ad alium Ordinem se transfert, eximitur à Votis specialibus in priore Ordine nuncupatis.

15 Respondetur ex eo Decreto magis col-

colligi, reliqua vota specialia Religionũ cessare per transitum ad alium Ordinem, quàm aliquid pro eorum duratione, cũ de hoc tantùm specialis cautio facta sit, secùs autem de reliquis, de quibus tamen eadem ratio procedebat: & alioqui non valet huiusmodi argumentatio à particulari ad Vniuersale. Deinde Pontifex illud Decretum edidit, non quòd intenderet declarare, Vota specialia Religionum permanere in Regularibus quocunque modo à iugo Regulæ prioris exemptis, (nam Votum non obligat vltrà intentionem vouentis) sed potius in pœnam transitus (qui ferè semper aliquam leuitatem præsefert) expulsionis, aut habitus regularis dimissionis, aut priuationis, ne alias ex suo crimine, vel animi leuitate commodum, & vtilitatem reportarent statuens, huiusmodi *translatos, expulsos, ac à delatione habitus regularis absolutos, vel priuatos, quarumcumque dignitatum huiusmodi proinde incapaces, & ad illas petendas, acceptandas, & obtinendas inhabiles remanere in omnibus, & per omnia perinde, ac si translati, expulsi, seu à delatione habitus liberati, seu priuati non fuissent*, secùs autem de Episcopis, aut aliàs ob gradum aliquem honorificũ exẽptis; Vnde ex multis capitibus retorqueri posset argumentum ut considerãti patet.

patet. Vt proinde Pellizzar. *tractat. 4. c. 5. sect. 7. n. 381.* dicat huiusmodi translatos, manere quidem adstrictos ad obseruantiam huius uoti, non tamen ex ui uoti præcisè, sed ex allato Decreto, & *sect. 4. n.* 168. agens de Iuramento P.P. Barnabitarum dicit, in ijs qui legitimè promoti fuerint ad aliquam dignitatẽ extra proprium Ordinem, huiusmodi iuramẽtum non perdurare, & *n.* 265. idem contendit de simili uoto Societatis non ambiendi, ubi semel quis promotus fuerit ad aliquã dignitatem extra Societatem; Addens *n.* 167. & meo iudicio benè, quod cùm supradictum Decretum promanauerit attentà probabili opinione Vasquez, & Peyrini apud Dianam *par. 5. tract. 2. res. 65.* quod non cessent specialia uota Religionum in Religiosis exemptis, etiamsi cessct obligatio Regulæ, illud procedit saltẽ in foro externo, & impedit, ne contraria sententia, quæ est item probabilis, in foro externo deducatur ad praxim etiam quoad Religiosos, qui hoc uotum emiserant ante dictum Decretum: cùm semper possit illis opponi dictum Decretum fundatum in opinione probabili: licet in foro conscientię non obliget stante probabilitate oppositę sententiæ, quam tuetur Suarez. *tom. 4. de Relig. tract. 10. libro 6. cap. 9.*

*capit.9.num.*12. *&* 13. & Diana *loco supra-citata*, quod omnia Vota specialia cessent in Religioso trãslato: atque adeo, si Religiosus adstrictus voto non ambiendi, translatus ad alium Ordinem ambiat, nõ peccat, nec dici potest violator Voti, etiam stãte dicto Decreto: quia operatur iuxta probabilem sententiam asserẽtem, in ipso huiusmodi Votum cessasse. Hæc omnia Pellizzar. *loco citato*.

16 Sed instat ipsemet Pelizzar. *sect.*5.*n.* 350.*& sequen.* Licet alias Votum hoc Societatis per illam regulam generalem, qua omnia vota, quę in Regionibus ultra tria substantialia emittuntur, satis probabiliter cessant in Religiosis assumptis ad Episcopatum: deberet, & ipsum cessare; tamen de eo est specialis ratio sustinendi oppositum, ne scilicet Votum reddatur inutile, & frustratorium; quippequod ratione materiæ, circa quam versatur non potest obligare, nisi pro tempore Episcopatus, &, si tũc non obligaret, nunquam obligaret. Quare sicut Nauar. Suarez, aliique apud Castro Palao *tract.*3. *disput.*5. *punct.* 3.§.3.*nu.*6. docent in casu, quo lex ex proprietate verborum redderetur inutilis, posse tunc recurri ad impropria, vt custodiatur firmitas legis, cum aliàs in legum interpretatione seruari semper

debeat

debeat proprietas verborũ; ità & in præsenti casu ad saluandam validitatem huius voti, ne aliàs dicatur frustrà emissum, dici potest, fallere doctrinam illam generalem, quod in Religioso Episcopo cessent omnia vota propria sui Ordinis ab ipso emissa, idque ex peculiari intẽtione Vouentis, qui scit votum fieri in illud tempus, ac proinde censetur, ex propria electione voluisse ad id se obligare. Quod idem argumẽtum procedit etiam in Religioso ad alium Ordinẽ translato.

17 Respondetur primò, in nostro casu cessare hanc voti inutilitatem, ac frustrationem, per hoc, quod illud, quód nos ponimus, ex parte sit óbligatorium, quà videlicet includit specialem Obedientiam Prælato pro statu Religionis: licet quatenus includit ẽt statũ exẽptionis, reddatur inutile, & frustratorium. Et quamuis hanc eandem Obedientiam, quamdiù Regularis degit in Religione, teneatur alias ex uoto solemni Obedientiæ: exinde tamen non sequitur, ꝙ votum hoc speciale foret inutile: sicut tale non esset Votũ speciale, quod emitteret Regularis abstinẽdi à determinato, vel etiam à quouis actu luxuriæ, ad quẽ ꝓcliuẽ se uidet: licet ad hoc idẽ aliàs teneretur ex voto Cástitatis Solẽni: quia ferretur circa eãdem

mate-

materiã, sed speciali modo: Quodsi votũ huiusmodi sit de àudiẽdis cõsilijs sui Praelati, ẽt ꝑ statu exẽptionis, clariùs patet illud nõ fore frustratoriũ, nã teneret saltẽ pro tempore, quo esset in Religione, ad ꝗ aliàs non teneretur sáltem ex mortali.

18 Deinde quę tanta necessitas sáluandi hánc voti vtilitatem, vt proinde recurrere debeamus ád impropriá, & exire extrá regulam generálem, dicendo illud omninò, ea non obstánte, tenere, ne áliàs frustrá emitteretur; quándo Voti conditio ex comm uñi DD. est tális, vt semper debeát interpraetári, quod minùs obliget & álioqui multa sint, quae ex máteriae implicantia reddántur inutiliá, & frustranea? Ad páritátem legis dico, esse longè dispárem rátionem: Quandoquidem lex publicá auctoritáte fit, ad eam condendám debitae adhibentur diligentiae, ác solemnitátes, vt non facilẽ árgui debeat inutilis, ác proinde mirum non est, si, cum ex proprietate verborum non potest colligi eius validitás, ád eius firmitatem sáluandám: necesse sit recurrere ád impropriá, cum ex eo, quod cum debitis ádminiculis fiat, supponi debeát hábere semper suám firmitátem, ac robur, cùm possessio stet pro lege; quod quidem non liceret, quandò legislátor ipse posset a-

 diri,

diri, & ab eo immediatè legis explicatio haberi. Preterquam quod, vt benè aduertit Palao *loco citat.* tunc verè nō recurreretur ad impropria, sed explicarētur verba legis secundùm omnem sensum, quem propriè suapte natura haberet, ex quo demùm lex non argueretur inutilis; vt in allatis exemplis explicat. At Votum cum sit lex quædam priuata, quam quisque sibi præfigit, non debet ampliari vltrà terminos cōmunes, vt eius validitas adstruatur, sed ità quidem arctat ad sui obseruātiam, vt terminis generalibus non aduersetur: quod, si cū illis pugnare dignoscitur, ipsum potiùs, quam illi cedere debet: cum supponatur semper factum suppositis terminis communibus, qui semper rationabiliter censentur esse in mente Vouentis, & aliàs possessio stat pro illis. Quare, si ex terminis communibus votum arguatur inutile, tale pro certò exit, cum possit uouēs facile decipi, & existimare aliquid sibi bonum, ac liberum: quod reuerà suppositis terminis generalibus non est: ac proinde illa particularis intentio se obligandi, cum non possit accommodari generali intentioni uouendi iuxta terminos cōmunes: ab illa destruitur & expugnatur: et sic uotū restat inutile, & frustraneum. Quod clariùs item

pate-

patebit ex tertia probatione.

19 Respondetur secundo nec etiam frustratorium euinci huiusmodi Votum, dato adhuc quod fieret pro solo tempore Exemptionis. Nam fundari posset in opinione probabili Vasquez, *& aliorum supra ex Diana relata*, quod in Episcopis, ac Religiosis translatis adhuc perseuerent specialia vota Religionum; ac proinde præsupposita tali opinione, Religiosus iste, iam non frustrà sed perquàm vtiliter, ac sanctè votum huiusmodi nuncuparet: cũ illud tunc supponeretur (nec temerè) validum, atque obligatorium; sicque stante tali opinione, eius obligatio vrgeret etiã pro tempore Episcopatus; licet nihilominùs uouens pro eo tempore posset semper mutare sententiam, & adstipulatus ijs qui dicũt specialia Vota Religionum cessare in Episcopis, velle non obligari. Sicut in simili diximus *supra* cum eodem Pellizzar. quod non sit inutile Decretum Vrbani & habeat vim ad obligandum, quia fundatur in eadem opinione probabili, quod non cessent huiusmodi specialia Vota in Religiosis translatis, licet eo non obstante possit quis, saltem in foro conscientię sequi opinionem contrariam, & sic nolle ad non ambiendum ex præmisso voto obligari.

20 Vrget adhuc. Potest obligari per hoc, quod Votum illud ex peculiari intentione emittit etiam pro illo tempore, quo esset exemptus: atque adeò obligatio illud implendi in eo consurgit non ex Regulà, sed ex peculiari intentione, quâ sciens Votum emitti etiam pro tempore exemptionis, vult nihilominus pro eo tempore ad illud implendum obligari: eo prorsus pacto, quo Frater Minimus factus Episcopus potest obligari ad vitã Quadragesimalem per peculiarem intẽtionem, quám habuisset in voti emissione, extendendi eius obligationem etiam ád tẽpus Episcopatus: licet aliàs secundũ probabilẽ sententiã à tali voto, quatenus fit ex prescripto Regulæ, foret exẽptus.

21 Contrà, quia ad huc posita tali intentione non teneretur; quia supponeretur ádhuc ab illà obligatione absolutus per simplicem assumptionem ad Episcopátum, aut tránsitum ád alium Ordinem, ratione cuius eximitur totaliter, nedum à Regulà, sed, & à quauis alligatione ád Prælatos regulares, idque directè, uel ratione status Episcopális, qui ex sui decentiá petit non dependere à directione inferiorum, uel rátione nouæ Regulæ susceptæ, quę item petit omnimodám, & absolutám directionem suorum Religio-

gio-

gioſorum, vt non dependeant, uel indirectè ab alterius directione. Quod non eſſet in Fratre Minimo ad Epiſcopatum aſſũpto, aut aliàs exempto, qui cenſeretur quidem abſolutus ab onere prioris regulæ: non autem ab alijs obligationibus, quæ aliàs contraxiſſet, & non pugnarent cum nouo ſtatu ſuſcepto. Addo, quod ſi Frater Minimus ad alium Ordinem trãſiret, adhuc ad uitam Quadrageſimalem non teneretur, etiamſi ex ſpeciali intentione intendiſſet extendere uotum ad tẽpus Exemptionis; Idque ex eo quod hoc Votum, & quæcunque alia commutarẽtur in nouam Profeſſionem, ut probabiliter tenet Sanchez, & idem Pellizzar. *tract.* 3.*c*.4.*num*.22. & nos *ſupra* adnotauimus. Contrà ſecundò & ſic.

22 Probatur tertiò principalis reſponſio, quia vouens huiuſmodi votum rationabiliter cenſetur vouere ſaluis terminis cõmunibus, quod votum minus obliget &c. & nolle renũciare ſuis iuribus, quę aliunde ſibi poſſent competere, quia votum illud non ſuà ſponte ſuſcipit, & ex puro beneplacito, ſed ex impoſitione Regulę, quę, ijs, qui ad eius gremium cooptari voluerint, hanc optionem aſſignat, vt talia, ac talia vota nuncupent, et hanc, vel illam obligationem aſumant:

quapropter uouēs ex ardore suscipiendi regulam, & , ut eius instituti particeps fiat: suscipit, & istud onus, quod à Regula præscribitur, & sine quo Regulæ participationem consequi non potest, ea ferè uoluntate, qua naufragium patiens ut suæ uitæ prospiciat, uolens proijcit merces, quod tamen non faceret si uitæ ęquè benè, ac saluis ijs posset consulére, uult tamen consequenter, cum directè uelit saluare uitam, quam una cum mercibus saluare non potest, ergò semper restat, quod huiusmodi uouens per eius uoti emissionem intendat se ad minus obligare, & nolle præiudicare suis iuribus, itaut si quando ab huius uoti obligatione eximatur, lubens hanc sortem suscipiat, ac nolit amplius ad illud implendum teneri, licet uotum fuerit emissum etiam in tempus exemptionis: sicut naufragus per hoc quod merces abiecerit, ac perdiderit, non renunciauit suis iuribus, itaut si quando eas recuperare sors dederit, iure id illi competat, ac possit sibi uendicare, atque ab alijs ablatas repetere. Quod etiam.

23 Confirmatur ex Pasqualigo *n*.4. quia vouens in huiusmodi Voti emissione intendit se conformare intētioni Religionis, quæ Votum præscriberet, quia intantum

tum vouet, inquantum vult suscipere regulam (quod potiori iure procedit si vouens de eo explicitam mētionem faciat in voti emissione subdendo se omnia intelligere secundum regulam &c.) Intentio autem Religionis supponitur procedere tantum pro tempore, quo Religiosus est sub eius directione, ita vt velit, illum quandiù est ipsi subiectus parere speciali modo suo Prælato, aut eius consilia excipere. & licet Votum hoc emitteretur etiam in tempus exemptionis; hæc tamen non censetur mens Religionis, quę etiam si talis esset, deberet corrigi secundum exigentiam rationis, quæ dictat, vt tamdiù intendat obligare sua membra, quamdiù à suo regimine depēdent: ergò etiamsi intentio Religiosi vouentis videatur ferri in tempus exemptionis, reuera tamen sistit intra limites Religionis, quatenus se conformát intētioni Religionis, quæ ad tempus exemptionis non progreditur, uel potius hæc intentio particularis extendendi votum ad tempus exemptionis, quæ esset in Religioso vouente, corrigitur, ac destruitur ab intentione generali, ac validiore, se obligandi iuxta terminos communes, & conformandi se rectæ intentioni Religionis, quæ semper censetur esse confor-

mis rationi, ác proinde nolle suum subditum obligare, nisi pro tempore, quo erit sub eius directione. Quod quidem nouũ non est, nec ulli ne è sapientibus quidem, sed nec è rudioribus stuporem debet inijcere, cum id passim uideamus in physicis, & in totá naturá; maius scilicet, & potentius in unoquoq. genere destruere sæpè, quod minus est, & infirmius, si æquè benè unà stare non possint, quod & in moralibus sæpissimè euenire, nemo debet inficiari.

Dices, falsum esse, à Religione onus imponi per Votum: ipsemet uouens onus suscipit, sed sub directione Religionis.

24 Contrá, quiá non onus ex Voto consurgens, dico, imponi à Religione, sed onus uoti emittendi, & oneris suscipiendi, si uelit ád Religionem ádoptari: intercedit enim ueluti pactum implícitum; Tu sponte tuá onus suscipe, & ego te in meũ gremium ádoptabo. Ex quo pátet, quod non sit purá directio, quæ, ceteris paribus, liberum relinquit uouenti eius Voti nuncupationem. Sicut uerè onus imponeret coniux, qui moriturus alterum hæredem quidem instituerer, át cũ conditione, ut in statu Viduitátis iugiter perseueret, áut etiám Votum Castitátis emit-

emittat, licet onus liberè ab ill[illegible] suscipiendum esset. Tunc autem fo[illegible] rà directio, quando absolutè her[illegible] institueret, ac deindè consul[illegible]ret stat[illegible] Viduitatis suscipiendum, aut Votum C[illegible] stitatis emittendum, ut consideranti p[illegible]tet. Sexcenta id genus exempla possent adduci in eius Veritatis comprobationem, quæ iam iam sua ipsa luce se signat, atque Orbi clarissimè innotescit.

LECTO:

LECTORI.

ADuertas Lector, me, post hęc scripta, dùm adhuc prælo subijcerem, casu incidisse in *Decisiones* quasdam *Miscellaneas* Francisci Bordoni viri satis noti, ac de Morali Theologia optimè meriti, quem *Decis.* 9. (dum quærit, An Episcopus possit vouere Deo, audire alterius consilia) inueni, nedum, pro nobis stare, sed insuper addere, nec pręcisa obligatione decere Episcopum in ijs quę ad Ecclesiam suam pertinent, adhibere aliorum consilia, quàm suorum Canonicorum, cum id statuatur in Iure Canonico, nec aliter ipsum deceat; vt multis solidissimè probat, & *Decis.* 4. testatur Pasqualigum suę opinionis, quoad Votum Societatis multos habere sectatores. Qui tamen Bordonus *ea Decisione*, & a b eo, & à nobis dissentir. videtur, dum dicit Pasqualigi Decisionem non subsistere, posito, quod Votum validum supponatur: ac proinde posita eius validitate, teneri Episcopum ad illud implendum, cum non possit præscindi à ratione Voti validi obligatio illud implendi ex eo consurgens: Quod quidem in eo sensu quo ipse accipit & nos vltrò concedimus, nec quisquam, credo, id vertet in dubium,

non

non considerata eius futura relaxatio-ne: cum id sequatur ex natura rei, non secùs ac calor ex igne &c. vt optimè probat argumentum. Verum quæstio procedit in diuerso genere: An scilicet Votum, etsi cœteroqui licitum, teneat, non ex se precisè, sed ex eo, quod adueniente tempore adimpletionis, supponatur aduenire, & eius relaxatio vnà cum relaxatione totius regulæ: eo prorsus pacto, quo dicitur validum secundum se Votum perpetuæ Vitę quadragesimalis, exempli gratia, emissum à Fratre Minimo, qui immediatè post fiat Episcopus, licet ad illud implendum probabiliter dixerim eo tempore non teneri, & sic Votum, etsi alioqui validum, pro tempore suæ adimpletionis non obligare: quia supponitur extrinsecùs relaxatum per generalem relaxationem Regulæ, & eorum quæ in ipsa fundantur, ut luculenter ostendi in hac *tertia Discussione*: quam ne te pigeat queso iteratò reuoluere: sumitur enim hac in re maxima æquiuocatio: Vnde nihil contra nos, nec forte ipse Bordonus, si rem bene perpendet inficiabitur. Cœterum, amice Lector, si hęc tibi arriserint, exinde mihi animus fiet, reliquas Discusiones, meumque *Lapidem Lydium* quantociùs perficere, at-

quo

que omni numero absolutum, tuo gustui exhibere, quem tamen ex nunc (ut de his tribus Discussionibus ago) nedùm S. R. E. Sed & iustæ cuiuscunque Doctoris censuræ libentissimè subdo. Vale.

F I N I S.

Menda

Menda leuiora, quibus passim scatet libellus presertim interpunctionum, Lectoris comitas, ac prudentia excusabit: grauiora, quaeque sensum vitiant, sic corrigat.

Pag.	lin.	Error	Correctio
Pag. 2.	lin. 7.	initum	irritum
	24	seù	àut
3	11	exequendā	exigendam
	19	in simile Votum	simile Votum in
	24	quia	quin
4	16	cura iura	iura extrà
5	8	conflectitur	complectitur
	14	Exemptionē	exemptione
	28	respiciunt	respicit
97	25	nimirum	nimiùm
6	16	Fatres	Patres
	18	materia	materiam
98	in marg.	tempore	tempora
	30	intellexerit	intellexerint
11	23	Episcopo	Episcopus
	26	laudabiles	laudabilis
104	10	substātialib.	obseruantijs
19	11	profecti	profectò
14	15	contingerit	contingeret
	ibid.	alteram	alterum
	13	& quidem	*Adde* ius
15	6	quia	quin
	23	possessori	*Adde* &
22	28	vtraq. eādē	vtrunque eodem
29	7	talis	*Adde* Voti
34	10	quoquam	quouis

21 ip-

	21	ipſam	ipſum
49	29	permireris	permitteret
45	9	qui	quæ
44	19	Suaderi	ſuadere
47	17	ſuſceptis	ſuſceptæ
52	3	hic	hùc
57	29	ſignantes	ſignans
60	20	iure	iuri
65	13	alij	aliá
73	11	ſinguli	ſingulis
	17	cáſurá;	cáſura,
75	17	maximè	maximæ
80	18	illi; ác pro. inde vt o- currereturː	ác proinde vt il- li occurreretur,
96	17	appoſitum	oppoſitum